



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvaestio LXXXIII. De ritu huius Sacramenti. In Sex Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

QVÆSTIO LXXXIII.

De Ritu huius Sacramenti.

In Sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus in hoc Sacramento immoletur?

In celebra-
tione Chri-
stus immo-
latur duo-
bus modis.

Respondetur Affirmatiuè: Christus in hoc Sacramento, id est, in Consecratione seu celebratione huius Sacramenti immoletur, id est, sacrificatur. Probatur duabus rationibus à D. Thoma, quæ sic explicandæ sunt. Prior est: Celebratio huius Sacramenti, est representatio sacrificij crucis: ergo dicit potest Christus immolari in huius Sacramenti celebratione, saltem representatiuè; nam signa assumunt nomina rerum signatarum. Verùm hoc modo etiam dicit potest immolari in figuris veteris testamenti: vnde hic modus est improprius. Altera est: Per celebrationem huius Sacramenti, non solum ut est susceptio Sacramenti, sed etiam ut est consecratio Corporis & Sanguinis Christi, applicatur nobis fructus Sacrificij crucis, ex opere operato: ergo est immolatio sacrificij. Antecedens supponitur tanquam fide certum. Consequentia probatur: Nam fructus passionis non applicatur nobis ex opere operato, nisi vel per susceptionem Sacramenti, vel per oblationem sacrificij: sed consecratio Corporis & Sanguinis Christi non est susceptio Sacramenti, & tamen per eam applicatur nobis fructus passionis ex opere operato: ergo est oblatio sacrificij.

2
Expendi-
tar ratio
D. Thomæ.

Nota D. Thomam in Corpore, vt probet Christum fuisse oblatum in figuris veteris legis, adducere illud Apocalypsis 13. v. 8. *Quorum nomina nõ sunt scripta in libro vite Agni, qui occisus est, ab origine mundi.* Verùm locus iste aliter dispungendus est; vt colligitur ex Græco, & optimè ostendit Ribera in illum locum: nam illud *ab origine mundi*, non est iungendum cum *occisus*, sed cum *scripta sunt*.

Notandum est; Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, sicut sunt cætera Sacramenta; sed etiam sacrificium; atque adeo sacrificium vnicum nouæ legis, in cuius oblatione primarius cultus nostræ Religionis consistit. Itaque tractandum breuiter de Sacrificio, tum generatim, tum ipsius Eucharistie; nam hanc partem hæretici vehementer oppugnant: de qua præter ceteros copiose scripserunt Claudius à Sainctis, Guilielmus Alanus, Bellarminus, Gregorius à Valentia, & postremò Zuarez. Nos solum præcipua prosequemur.

D V B I V M I.

Vtrum omne opus bonum, quo Deum honoramus, sit propriè dictum Sacrificium?

3
Affirmant
hæretici.

Hæretici, vt excludant vnicum, & verum Ecclesie sacrificium, ita Sacrificij notionem explicant, vt vel omne opus bonum, vel saltem omne id, quod Deo offertur, dicant esse propriè

dictum Sacrificium. Vnde Philippus Melancthon in locis cõmunibus, Titulo de Sacrificio Eucharistie, *Sacrificium dicit esse omne opus, quod Deo reddimus, vt eum honore afficiamus.* Caluinus autem omnem oblationem vult esse sacrificium. Idem ferè sentiunt alij hæretici, vt refert Gregorius à Valentia *Apologia de Sacrificio Missæ*, & Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 2.

Dico Primò; Certum est, non omne opus bonum esse propriè sacrificium, etiamsi fiat expressè ad Deum honorandum. Est communis sententia Catholicorum fide tenenda.

4
Non omne opus bonum esse propriè sacrificium, est de fide.

Probatur Primò, Quia Sacrificium est excellentissimus cultus exterior, quo Deum colimus, & expressius eius excellentiam, nostramque subiectionem testatur. Quod ex eo confirmatur, quod sacrificium nemini possit offerri, nisi Deo; vt ostendit D. August. lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 4. *Vnde nemo vnquam sacrificandum censuit, nisi ei, quem aut Deum sciuit, aut putauit, aut finxit, vt ibidem Augustinus.* Cætera autem honoris signa etiam alijs fieri possunt; vt genuflexio, erectio itatuz, & similia. Atqui non omne opus bonum est excellens cultus diuinitatis: imò pleraque nullum honorem præ se ferunt; vt ieiunium, elemosyna, & omnia, quæ in proximum sunt: nisi quatenus obedire Deo, est quodammodo honorare: non enim, qui ieiunat, aut proximo benefacit, expresso signo testatur Dei excellentiam, & suam subiectionem. Quod confirmatur: nam hæc opera non ex eo præcipuam laudè habent, quod Deum honorent; sed quia ob alias causas rectæ rationi, & diuinæ legi sunt consentanea; alioqui Religio non esset virtus à ceteris distincta.

Sacrificiū est præstā-
tissimus
cultus ex-
ternus Di-
uinitatis.

Probatur Secundo, Nam ad rationem sacrificij requiritur Sacerdos, & Altare. Offerre enim sacrificium est proprium munus Sacerdotis. Patet ex Apostolo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, vt offerat dona, & sacrificia.* Idem patet exemplis Scripture: nam in veteri lege soli Sacerdotes offerebant sacrificia; adeo, vt Rex Ozias cum non esset Sacerdos, & tamen vellet sacrificare, à Deo punitus fuerit lepra 2. Paralip. 26. Idem patet ex nomine affinitate; tum apud Græcos, tum apud Latinos. Nam *iepeis* est Sacerdos, *iepeia* Sacrificio: Sic Sacerdos & Sacrificus, idem valèt: Sacrificare ergo est proprium munus Sacerdotis.

Ad sacrifici-
cium prop-
riè dictū
requiritur
Sacerdos.

Quod autem Altare requiratur: Patet tum ex usu omnium gentium, tum exemplis Scripture, vbi altaria non nisi ad sacrificia fuisse erecta legimus, excepto illo vno filiorum Ruben & Gad, de quo Iosue 22. quo præter naturam altaris vsi sunt, nempe in signum, quod haberent ius offerendi cum reliquis tribubus quæ erant ultra Iordanem. Tum ex ipsis nominibus: nam *Altare*, nomen habet à Sacrificio; tum, apud Græcos, tum, apud Hebræos: nam *αὐτὰρ θυσιάς* dicitur *θυσιάσθιον*, & à ZABACH, id est, sacrificauit, dicitur MIZBACH, id est, Altare. Ratio est, Quia cum sacrificium sit

Ei Altare.

N n n iij præstan-

præstantissimus cultus externus Diuinitatis, requiritur ad illud determinata persona ad hoc peculiariter deputata; similiter determinatus locus, qui vñibus profanis non possit accommodari.

Probatur Tertiò, Si omne opus bonum esset sacrificium, deberet esse sacrificium legis naturalis; ac proinde ratio naturalis diceret omne tale opus pro sacrificio habendum: atqui hoc falsum est, nam nulla vnquam gens quoduis opus bonum censuit cultum latriæ; sed omnes quadam peculiaria opera externa habuerunt, quæ sola, sacrificia censerentur. Dices; etiamsi non omne opus bonum secundum se sit sacrificium, tamen quatenus fit ad honorandum Deum, videtur esse sacrificium, cum sit actus latriæ. Respondeo; hoc nõ est esse propriè sacrificium; sed est tantummodò esse actum Religionis imperatum, & directum in finem in quem dirigitur sacrificium, seu ob quem propriè sit sacrificium: sed hoc nihil ponit in ipso actu, nisi denominationem extrinsecam, vnde non facit ipsum actum esse actum latriæ, nisi remotè, quatenus videlicet aliquo modo, causatur ab affectu latriæ. Adde, Non omnem actum latriæ esse sacrificium: vt patet in adoratione, laude, voto, iuramento, &c. Vnde etiamsi esset actus Religionis, non tamen idcirco esset sacrificium.

Est opus bonum fiat in honore Dei, non inde tamen est Sacrificium.

Soluuntur obiectio- nes.

Sacrificiũ sæpe latè sumitur pro omni bono opere.

Obijciatur definitio Augustini.

Explicatur

Sed contrà: Obijciatur Primò, Opera bona in Scripturis vocantur sacrificia: Psal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: & alibi, *sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*. Ad Hebræos vltimo v. 16. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus*.

Respondeo: Hæc dicuntur *Sacrificia* largè: quia placant Deum instar Sacrificij. Vide Chryostomum Comment. in Psal. 95. vbi decem genera huiusmodi sacrificiorum enumerat ex Scripturis. Alibi enim Scriptura, vbi strictè accipit nomen *Sacrificij*, distinguit illud ab operibus bonis: 1. Regum 15. v. 22. *Melior est obedientia, quam victima*. Osee 6. v. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Psal. 50. v. 18. *Si voluisses sacrificium, dedissem*. Quibus locis manifestè inlinuatur, obedientiam, misericordiam, aliaque huiusmodi bona opera, non esse propriè sacrificia. Vide Melchiorum Canum lib. 12. de locis cap. 13.

Obijciatur Secundò, Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 6. sic ait; *sacrificium verum est omne opus, quod agitur vt sancta societate inhereatur Deo, relatum ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus*: id est, sacrificium est omne opus bonum, factum, vt Deo placeamus.

Respondeo; D. Augustinus accipit nomen *sacrificij* latè, pro eo, quo assequimur finem seu effectum Sacrificij, qui est placere Deo. Vocat autem tale opus, *verum sacrificium*, ad distinctionem sacrificij externi, quo offertur animal: non quod perfectius & verius habeat rationem sacrificij, quàm sacrificium externum; sed quia effectum sacrificij perfectius præstat. Nam opus bonum ex charitate profectum, perfectius Deum placat, nosque illi iungit, quàm sacrificium externum, secundum se non proficiscens ex charitate. Hanc esse mentem Augustini patet ex capite 5. Simili modo Christus dixit, *Ego sum vitis vera*: non quod esset propriè vitis, sed quia est vitis mystica, multò excellentius præstans spiritualiter ea, quæ vitis sunt. Sic *abstinere a peccatis*, dicitur *verum ieiunium*: *visitare pupillos*, *vera religio*.

Dico Secundò, Nõ omnis quoque externa oblatio Deo facta sacrificium est, quamuis ex intentione honoris diuini procedat.

Probatur Primò, Quia Scriptura passim distinguit *Oblationem à Sacrificijs*. Psal. 39. *Sacrificium & oblationem nolui*. Psal. 50. *Oblationes & holocausta*. Ad Hebræos 5. *Vt offerat dona & sacrificia*: & alibi. Et Cõfirmatur: quia multa in Scripturis dicuntur *Offerri*, quæ tamen non possunt dici *Sacrificari*: vt Filij primogeniti, primitiæ variarum rerum, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus, aliaque plurima. Vide Exodi 25. & 35.

Probatur Secundò; Quia ad rationem sacrificij requiritur mutatio rei. Quod patet, tum ex Scripturis, vbi omnia propriè dicta sacrificia videmus interim, vel saltem multum immutari, vel per occisionem, vt viuientia: vel per combustionem, vt carnes animalium, & res inanimæ solidæ, vt similia, sal, thus: vel per effusionem, vt liquida, sanguis, vinum, aqua; vel alio modo, vt sacrificium Melchisedech. Vide cap. 1. & 2. Leuitici. Tum ex ipso nomine *Sacrificandi*, quod Latine, Græcè, & Hebraicè significat *occidere, mactare*, Græce enim *θύειν* est *occidere*, & Hebraicè *זבח*. Tum denique, quia sacrificium est præstantissimus cultus externus, vnde res tota debet in honorem Dei interim, vel certè mutari; sic enim ei perfectissimè offertur, dum in nullos versus humanos cedit; & optimè designat eius perfectum in omnia dominium; quod non tam bene fit sine mutatione.

Probatur Tertiò, Quia ad oblationes non requiritur Sacerdos; quibus enim potest eas facere. Neque etiam altare; vt patet Exodi 35. & alibi.

DVBIVM II.

Quid sit Sacrificium propriè dictum.

Respondeo; *Sacrificium est Oblatio externa per legitimum ministrũ soli Deo exhibita, in qua substantia aliqua sensibilis immutatur, vel etiam perimitur in protestationem diuini principatus, nostræque seruitutis*.

Primò, Dicitur *Oblatio*. Nam *Oblatio* est genus *Sacrificij*, vt docet D. Thomas q. 85. art. 3. ad 3. quamuis interdum strictè accipiatur, pro *Oblatione*, quæ solim est oblatio, & non *Sacrificium*; vt patet ex dictis.

Secundò, Dicitur *Externa*, vt distinguatur contra internam oblationem, qua mens se suaq; Deo subijcit: quam internam oblationem D. Augustinus vocat *verum sacrificium*; dicitque Deum hoc magis exigere, quàm externum visibile, cum visibile sacrificium sit Sacramentum, id est, sacrum signum huius inuisibilis. Quæ quomodo intelligenda sint, patet ex dictis: non enim ratio sacrificij propriè conuenit internæ reuerentiæ & submissioni; quamuis verum sit, externum hunc cultum, sine interna submissione, & reuerentiæ affectu, cuius est signum, parui esse estimandum: sicut omne opus externum parui est momenti, nisi procedat à debito affectu interiore. Et sic patet, Deum magis exigere hunc internum cultum, cuius ipsum sacrificium est signum, quàm externum sacrificium: nam magis placet illi interna estimatio, reuerentiæ, & submissio quam mens habet erga ipsum, tanquam primum principium omnium bonorum, quàm externum signum huius submissionis.

Tertiò

6 Non omnis externa oblatio ad honorem Dei facta, est propriè sacrificium.

7 Vox sacrificandi in linguæ S. significat Occidere.

7 Definitio Sacrificij propriè dicti.

Oblatio.

Externa.

Legimus
Minister.

Tertio, Dicitur *Per legitimum Ministerum*. Nam cum sacrificium sit præstantissimus cultus externus, debet fieri à persona ad hoc dedicata; sicut & aliæ functiones honoratissimæ in Republica. Quod patet tum in veteri, tum in noua lege, ubi videmus sacrificia semper à Sacerdotibus esse oblata, qui ad id peculiariter erant deputati. Idem seruatum est apud Ethnicos. Dices, Apud Ethnicos quibus cogebatur sacrificare; vt patet ex gestis Martyrum. Similiter in lege naturæ quibus videtur potuisse: nam Abel sacrificium obtulit, cum tamen non esset primogenitus. Respondeo, Illa, quæ à priuatis offerebantur apud Ethnicos, non erant propriè sacrificia, sed oblationes quædam idololatriæ, quæ dicebantur latè sacrificia. Vnde ad sacrificia propriè dicta erant apud illos constituti sacerdotes. In lege naturæ communior sententia Doctorum est primogenitos fuisse Sacerdotes. Ita Eucherius, Glossa, & Lipomanus in illud Genes. 25. v. 31. *Vende mihi primogenita tua*. Idè docet Hieronymus in qq. Hebraicis agens de Melchisedech, ubi dicit esse traditionem Hebræorum omnes primogenitos à Noè vsque ad Aaron fuisse Sacerdotes; quibus etiam debebatur auctoritas quasi regalis, & multæ aliæ prærogatiuæ. De quibus Pererius tomo 2. in Gen. cap. vltimo. Præter hos fuerunt etiam alij, vt Abel, qui id diuina inspiratione fecerunt.

An apud
Gentiles,
& in lege
Naturæ
cuiuslibet
esset licitum
sacrificare.

Substantia
sensibilis.

Quarto, Dicitur *Substantia sensibilis*. Nam apud omnes gentes, id quod in sacrificio offertur, est aliqua substantia animata, vel inanimata. Et ratio est; quia sacrificium fit ad testandum Deum esse principium omnis esse. Dices; In sacrificio Missæ offertur Corpus & Sanguis Christi, vt infra dicemus; quæ tamen non possunt sensibus percipi. Respondeo, etsi non possint sensibus percipi secundum proprias & intrinsecas suas qualitates, percipiuntur tamè secundum eas, sub quibus existunt per modum substantiæ: hæ enim qualitates ita se habent ad Corpus, & Sanguinem Christi, sicut qualitates aliarum substantiarum, ad ipsas substantias, excepta informatione: vnde efficiunt Corpus Christi sensibile, & tractabile, quantum satis est, vt ipsum dicatur sensibiliter offerri, tractari, manducari: vt patet ex supra dictis.

Immutatur.

Quinto, Dicitur *Immutatur*. Nam de ratione sacrificij est, vt per aliquam realem mutationem offeratur; vt patet ex omnibus sacrificijs veteris legis.

Perimitur.

Sexto, Dicitur *Vel etiam perimitur*. Etsi enim fortè non sit de ratione sacrificij, vt res omnino perimatur; sed sufficere videatur aliqua mutatio, qua in honorem Dei mutetur, ad significandum eius perfectum in omnia Dominium (vt cum effunditur aqua in honorem Dei, & libatur Deo, sicut fecit Dauid 2. Regum 23.) tamen dubium non est, quin hoc valde ad perfectionem sacrificij pertineat. Et ratio est: Primò, Quia sic perfectius testatur Deum esse auctorem totius esse, & habere vita & mortis supremam potestatem. Secundò, Quia sic res non solum quo ad vsum, sed etiam quo ad substantiam in honorem Dei credit. Addi potest Tertio, Deum sic inspirasse primis parentibus, ad representandam mortem Christi, quæ omnium sacrificiorum erat finis, & per omnia debebat præsignari. Sed hæc representatio, etsi inueniatur in omnibus sacrificijs diuinitus inspiratis, non tamen ad rationem sacrificij per-

tinet. Nam quamuis Christus non fuisset mortuus, nihilominus fuisset sacrificia: nam sacrificiorum oblatio est legis natura.

Septimò, Dicitur *In testimonium diuini principatus, & nostræ seruitutis*. Nam sacrificio hæc duo testamur, Deum esse principium omnium bonorum, & nos esse naturaliter ipsius seruos, in quos plenissimam habeat potestatem. Vnde, si posset fingi aliquod numen, à quo nos non dependeremus, sicut fingebant Manichæus, & Simon Magus, non deberemus ei sacrificium. Dices, Ethnici offerebant etiam Dijs inferioribus, à quibus dumtaxat particularia quædam beneficia expectabant, vt Cæteri, &c. Respondeo; In eo faciebant contra rationem naturalem, quæ dicit summum Numen singulari quodam honore colendum, qui alijs sit incommunicabilis.

Testimonium diuini principatus & nostræ seruitutis.

D V B I V M III.

Quotuplex sit Sacrificium?

Respondeo; Tripliciter diuidi posse. Primò, Ratione materiæ, Nam materia vel erat animal aliquod, vel erat res inanima, eaque vel solida, vel liquida. Oblatio animalis dicebatur *Victima*, vel etiam *Hostia*. Oblatio autem rei inanimæ solidæ dicebatur *Immolatio*, iuxta D. Thomam, quamuis hoc nomen etiam ad victimas extendatur. Oblatio rei liquidæ dicebatur *Libamen*. In veteri lege *Victima* constabat solum his animalibus mundis: oue, capra, hædo, boue, columba, passere, turture: neque aliud genus licebat sacrificare. *Res inanima solida*, quæ offerebantur in sacrificiū, erant panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium: patet Leuit. 2. & 6. Hæc eleuabat Sacerdos in altum, & inde consumebat contusione, crematione, aut etiam comestione. *Liquida* erant, Sanguis, vinum, oleum, aqua: hæc libatione, vel effusione sacrificabantur. Aduertendum autem *libamina*, & *rerum inanimatarum oblationes*, esse sacrificia imperfectiora, quàm victimas, in quibus viuum sacrificabatur: vnde & apud Gentiles etiã Dijs minutis fiebant: Victimæ autem solum duodecim Dijs maioribus, saltem ordinariè.

8
Diuisio
Sacrificij
ratione
materiæ.

Victima
Oblatio.

Libamen.

Secundò, Diuiditur partim ex fine, partim ex forma, in *Holocaustum*, *Sacrificium pro peccato*, & in *Hostiam pacificam*. *Holocaustum* erat perfectissimum, in quo tota res in sumum resoluta, sursum ascendeat ad testandum omnia à Deo nos habere, & omnia ipsius esse. Vnde potissimum fiebat in reuerentiam diuinæ Maiestatis, absque alio fine. *Sacrificium pro peccato* partim cremabatur, partim à Sacerdotibus in atrio tēpli comedebatur. Offerebatur autem non pro peccatis internis, sed quibusdam externis; vt pro peccatis ignorantie, maxime circa cæremonias; vt patet Leuit. 4. & 5. item furti, periurij, & calumnie cap. 6. *Hostia pacifica* offerebatur pro beneficijs acceptis in gratiarum actionem, & tunc eodem die consumebatur. Aliquando etiam pro impetrandis nouis beneficijs; & tunc poterat in posterum diem differri consumptio. Huius pars cremabatur, pars à Sacerdotibus comedebatur, & pars ab ijs qui donauerant.

9
Alia eiusdè
diuisio
ratione finis
vel formæ.
Holocaustum.

Sacrificium
pro peccato.

Hostia
pacifica.

10
Tertia di-
uisio Sacri-
ficij ex ef-
fectu.

Tertio, Diuiditur Sacrificiū ex effectu, in *Propitiatorium*, *Eucharisticum*, & *Impetratorium*. *Propitiatorium*, quod & *Hilasticum*, offertur pro peccatis, eorumque supplicij auertendis. *Eucharisticum* offertur in gratiarum actionem pro beneficio accepto.

Propitia-
torium.
Eucharistica-
cum.

Hoc, si

Hoc, si offerebatur pro beneficijs in communi, dicebatur *Larreatium*, id est, *Honorarium*; nam Deo debetur latria ratione beneficij, creationis, & gubernationis. Si autem pro speciali beneficio, dicebatur *Hostia pacifica*. *Impetratoriu* offertur pro beneficio futuro; quod etiã *Hostia pacifica* dicebatur.

Impetratorium.

DVBIVM IV.

Virum liceat hoc tempore offerre Agnum, vel quid simile in Sacrificium?

Videtur id esse licitum: nam offerre sacrificium est legis naturæ, vt docet D. Thomas ar. 1. q. 85. Vnde etiam in statu naturæ nudæ fuissent Sacerdotes, & Sacrificia; nam fuisset cultus externus, quo Deum tanquam totius naturæ conditorem, & Dominum fuissent venerati: quod perfectissimè fit sacrificio.

Superstitiosum est nunc Agnum vel quid simile in Sacrificium offerre.

Respondeo; Non licere, sed fore superstitione, si quis intendat hæc in modum sacrificij offerre.

Probat *Primò*; Quia vnicum est verum & proprium Ecclesiæ sacrificium, quod omnibus veteribus sacrificijs successit; vt passim docent Patres. Vnde D. Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei cap. vltimo, probat *Epulas illas, quæ à quibusdã, sepulchris Martyrum solent imponi; non esse sacrificia Martyrum, eò quòd sit vnicum Ecclesiæ sacrificium: vbi satis insinuat, non posse auctoritate humana addi aliud sacrificium. Et lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 20. Huius, inquit, veri sacrificij multiplicia, variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cum hoc vnum per multa figuraretur. Idem docet Leo serm. 7. de Passione cap. 1. & 3. Et Ecclesia in collecta; Deus inquit, qui legalium differentiam hostiarum vnus sacrificij perfectione sanxisti.*

Vnicum est in Ecclesia Sacrificium.

Probat *Secundò*, Quia sacrificium Ecclesiæ est infinite dignitatis, continens in se omnium sacrificiorum virtutem: ergo supernacaneu, & superstitiosum esset aliud addere, tanquam hoc sit minus perfectum. Ideò enim plura instituantur, quia vnum non sufficit ad omnia impetranda.

Probat *Tertiò*, Sacerdotium, quod est in Ecclesia, est supernaturale, & institutum à Christo: ergo non respicit sacrificium iuris naturæ, sed supernaturale, ab eodem Domino institutum. Sunt enim Sacerdotium & Sacerdos relatiua, vt eiusdem ordinis.

Probat *Quartò*, Alia sacrificia ex institutione diuina habent adiunctã protestationem Christi venturi: ergo externo ritu, qui ea vsurparet, censeretur iudaizare.

Denique, Hoc ipso, quo Christus instituit nostrum sacerdotium & sacrificium, censeretur hominibus prohibuisse institutionem alterius sacerdotij, aut sacrificij: nam hæc institutio proprie pertinet ad supremam potestatem. Vnde etiam censeretur illam potestatem, quæ iure naturæ inesset Reipublicæ, sustulisse. Quod confirmatur à simili: nam in lege veteri, hoc ipso, quo Deus instituit illis Sacerdotium, & sacrificia determinauit, censeretur admississe potestatem illi Reipublicæ alia sacrificia adiungendi: sicut etiam, si Reipublica aliqua institueret sacrificia, & sacerdotium, hoc ipso adimeret cuius priuato hanc potestatem.

Christus sustulit potestatem alterius Sacrificij instituendi.

DVBIVM V.

Virum Eucharistia in Ecclesia verè & propriè offeratur vt Sacrificium?

Heretici omnes huius temporis negant, & idè execrantur Missam tanquam idololatricam. Sed dicendum.

Certa fide credendum, Eucharistiam non tantum esse Sacramentum; sed etiam offerri, vt verè, & propriè dictum sacrificium.

Probat *Primò*, Ex figuris huius mysterij. Prima sit, *sacrificium Melchisedech*; vt patet ex Psal. 109. & ad Hebræos 7. Atqui ritus Sacerdotij Melchisedech, quatenus à Scriptura nobis proponitur, erat cõstitutus in oblatione panis, & vini; vt patet Gen. 14. ergo Christus obtulit sacrificium sub specie panis, & vini: & consequenter ministri Ecclesiæ in nouo testamento simile Sacrificium offerunt.

Eucharistia offertur vt verè & propriè dictum Sacrificium.

1. Probat ex Figuris.

2. Figura, Sacrificij Melchisedech.

Maiores patet Gen. 14. v. 18. *Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi. At, nisi obtulisset panem & vinum in sacrificio, non adderetur, erat enim Sacerdos Dei altissimi; nam ad benedicendum Abraham non erat opus Sacerdotio: poterat enim vt Rex illi benedicere; sicut Salomon benedixit populo. 3. Regu 8. & Dauid 2. Regnum 6. & Iosue cap. 1. & 22.*

Prima Consequentia Probat: Quia dici nequit eum principaliter protulisse ad refectionem, non autem ad sacrificium: nam ibidem dicitur seruos Abraham potitos opimis spolijs, in quibus erant esculenta, & poculenta. Et Confirmatur; Cùm Scriptura describat nobis aliquoties Sacerdotium Melchisedech, tanquam distinctum ab Aaronico, & vt simillimum Sacerdotio Christi; debuit alicubi explicare, quale fuerit eius sacrificium: ignorato enim sacrificio, necesse est Sacerdotij conditionem ignorare, eum sint relata: nisi hinc. Denique omnes Patres passim docent Melchisedech obtulisse panem & vinum, & hanc oblationem fuisse Eucharistiæ typum: Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum sub finem; Melchisedech, inquit, rex Salem Sacerdos Dei altissimi, qui panem & vinum sanctificauit, id est, sacrificatum, dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ. Eusebius lib. 5. Demonstrationis euangelicæ cap. 3. fusè in hanc sententiam scribit Melchisedech pane & vino sacrificasse, vt præfiguraret Sacrificium, quod Christus & Sacerdotes ab eo descendentes in omnibus gentibus offerunt. Cypria. epi. 63. *Quis magis, inquit, Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit; & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem, & vinum; suum scilicet Corpus & Sanguinem?* Augustin. epist. 95. ad Innocentium, Melchisedech prolato Sacramento mensæ Dominicæ, nouit æternum eius Sacerdotium figurare. Omitto alios. Vide Garetium.

Vltima Consequentia Probat: Quia Christus est Sacerdos in æternum; Psal. 109. v. 4. id est, vsque ad finem mundi: ergo vsq; ad finem mundi debet offerre sacrificium ipsius Melchisedech: quod, cum per se non faciat, necesse est, vt faciat per suos ministros in Ecclesia. Nec valet, Si dicas; Christum dici Sacerdotem in æternum, eò quòd virtus oblationis crucis maneat in æternum; quia sic etiam natiuitas, passio, & mors, æterna diceretur: & Noè

Quomodo Christus sit Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

& Noë esse Sacerdos in æternum, quia effectus sacrificij eius æternus est; impetrauit enim, ne in æternum amplius esset vniuersale diluuium; Gen. 8. Deinde, sacrificium crucis non erat secundum ordinem Melchisedech; sicut neque secundum ordinem Aaron; cum hæc sacrificia essent typica: ergo ratione sacrificij crucis non potest dici Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Est ergo sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech æternum, quatenus vsque ad finem sæculi per suos ministros offert Corpus suum & Sanguinem sub specie panis & vini.

Secunda Figura celebrationis Eucharistiæ, est *Immolatio Agni Paschalis*: atqui hæc erat verum Sacrificium; vt patet Exodi 12. num. 9. Marci 14: ergo etiam celebratio Eucharistiæ est verum sacrificium. Probatur consequentia: nam veritas debet respondere figuræ. Maior, (scilicet, immolationem Agni Paschalis esse typum Eucharistiæ.) Probat: Tum ex consensu Patrū, Leonis ferm. 7. de Passione Domini, Gregorij homil. 22. in Euangel. Hieronymi in cap. 26. Marth. Chrysostomi hom. de prodicione Iudæ, vbi docet Dominum adimpleuisse Pascha vetus, condendo & offerendo Pascha nouum. Tum ex circumstantijs celebrationis vtriusque. Primò, Quia immmediate post esum Agni instituit Eucharistiā, quasi hoc sacrificio abolens ymbra, & substituens veritatem: Secundò, Quia sicut Agnus immolabatur in memoriam transitus Domini, & liberationis populi de Ægypto: ita Eucharistia celebratur in memoriam transitus Domini per passionem ex hoc mundo, & nostræ liberationis de potestate satanæ. Tertiò, Sicut Agnus immolabatur, & comedeatur veluti in viaticum peregrinorum; ita Eucharistia nihil aliud est, nisi refectio quadam, & viaticum tendentium ad caelestem patriā. Quartò, Agnus non poterat comedi, nisi à circumcis, mundis, & in Ierusalem: Eucharistia nõ nisi à baptizatis, mundis, & in Ecclesia. Quintò, Agnus immolabatur non à Sacerdotibus Leuiticis: (Nam ante designationem Sacerdotum Leuiticorum fuit institutum hoc sacrificium:) sed à Capitibus familiarū, quæ quoad hoc retinebant ex lege naturæ ius sacerdotij. Eucharistia celebratur à Sacerdotibus noui testamenti, qui sunt Capita familiæ Christi assumpta ex omni tribu.

Notandum tamen Agnum Paschalem nõ fuisse figuram Eucharistiæ, quatenus ipsa includit species panis & vini; sic enim sacrificium Melchisedech eius figura erat; sed quatenus continet verā carnem, & sanguinem veri agni Christi: Agnus enim Paschalis, vt erat hostia cruenta, erat figura sacrificij crucis; quatenus verò continebat carnem agni immaculati, quæ debebat comedi, erat figura Eucharistiæ.

Tertia Figura erat, *Sanguis testamenti*: Exodi 24. & ad Hebræos 9. Atqui Sanguis testamenti veteris apud Moysen erat sanguis victimæ iam immolatae, & verè sacrificatae: ergo & *Sanguis testamenti noui* apud Christum in cœna est sanguis victimæ propriè sacrificatae: ergo Christus in cœna fuit verè immolatus.

Dices Primò, Sanguis Christi in cœna erat tantum sanguis victimæ immolandæ in cruce, nõ autem tunc immolatae.

Sed contra: Quia victimæ prius debet immolari, quàm sanguis eius liberetur: nam ex immola-

tione victimæ sequitur sanguis. Quod confirmatur exemplo Exodi. 24. v. 8. vbi prius immolata est victimæ per Moysen; deinde aspersus sanguis in populum sub illis verbis, *Hic est Sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*. Ergo etiam Christus prius debuit seipsum victimam facere, & deinde sanguinem ex sacrificio prouenientem in discipulorum corda spargere sub his verbis, *Hic est Sanguis meus noui testamenti*. Deinde, cum in celebratione testamenti veteris tria inueniantur: Primum, Promulgatio legis coram populo. Secundum, Immolatio victimæ fœderalis. Tertiū, Asperio sanguinis, & manducatio victimæ: Dominus instituens, nouum testamentum, cuius figura erat vetus, impleuit primum, cum dixit, *Hoc est preceptum meum, vt diligatis inuicem*; & tertium, cum dixit, *Comedite*, *Hoc est Corpus meum*: *Bibite*, *Hic est sanguis meus noui testamenti*: ergo non est dubitandum, quin etiam impleuerit secundum, nempe victimæ immolationem.

Dices Secundò, Nouum testamentum confirmatum est Sanguine Christi, vt in cruce fuit effusus, non autem vt in cœna. Nam Apostolus ad Hebræos 9. v. 17. ait, *Nouum testamentum Christi morte confirmatum*: ergo sanguis ille testamenti veteris, quo vetus testamentum sanciebatur, nõ erat figura Eucharistiæ, sed occisionis, & effusionis Sanguinis in cruce.

Respondeo Negando Consequentiam: Nam idem omnino erat Sanguis, qui in cœna, & qui in cruce effusus. Vnde illo Sanguine, qui dabatur in cœna, nouum testamentum sancitum est, licet per effusionem ipsius in cruce confirmatum sit. Cœptū tamen est etiam confirmari per effusionem in cœna: nam in cœna erat idem Sanguis, fiebatque representatio effusionis, quæ mox in cruce erat perficienda. Quia enim Christus iā realiter in cruce immolatus, non poterat realiter aspergere Sanguine suo populum ad confirmandum nouum testamentum, sicut Moyses fecerat in figura vituli immolati, dum confirmaret vetus testamentum Exodi 24: ideo, præueniens mortem suā seipsum immolauit in Eucharistia, & condito testamento, Sanguinem suum, quo illud confirmaretur, asperxit super Ecclesiam.

Quod autē sanguis ille veteris testamenti fuerit figura Eucharistiæ: Patet Primò, Quia eodem modo loquendi vitur hic Dominus, quo ibi Moyses. Moyses ait, *Hic est Sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Dominus*: Dominus ait, *Hic est Sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effunditur*. Secundò, Moyses proponit populo suam legem: Dominus hic etiam suam proposuit, cum dixit, *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*. Tertiò, Moyses asperxit sanguinem super populum, Christus suum Sanguinem supra corda discipulorum. Quartò, Dominus condidit testamentum in cœna, non in cruce; quod patet: nam testamentū debet fieri ab homine viuente, libero & sui iuris: Dominus autem cum in cruce moriebatur, erat

Christus in Cœna, non in cruce fecit Testamentū.

14
1. Figura: Immolatio Agni Paschalis.

Qua ratio- ne Agnus Paschalis fit figura Eucharistiæ.

15
3. Figura: Sanguis Testamenti.

1. Obiectio

Solutio.

omnia

omnia reperiuntur in cœna, non in cruce; ac proinde in cœna condidit testamentum, non in cruce. Vnde ulterius sequitur, Sanguinem, quem dedit in cœna, fuisse præfiguratum per sanguinem testamenti veteris.

16
4. Figura:
Iuge Sa-
crificium.

Quarta Figura est, *Iuge sacrificium*: quod erat sacrificium Agni manè, & vespere, idque quotidie. Vnde Danielis 8. & 12. ubi Antichristus dicitur *ablaturus iuge sacrificium*, Patres intelligunt *Sacrificium Eucharistia*, quod publicè in Ecclesia celebratur: loquitur enim Daniel de vero sacrificio, quod vsque ad finem mundi durabit, cuius typus erat Iuge Sacrificium Iudaicum.

17
2. Prob. Ex
veteri Te-
stamento.

Probatur Secundò, Testimonijs Scripturæ veteris testamenti. Primum, Testimonium: *Malachia* 1. v. 6. *Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum panem pollutum; caccum, claudum & debile immolatis, non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

Locus Ma-
lachia ex-
plicatur
pro Sacrifi-
cio Eu-
charistia.

Hic Propheta prædicit sacrificiorum legalium, & cæremoniarum cessationem; Gentium vocationem. & mundissimi Eucharistia sacrificij in Ecclesia toto orbe ex gentibus colligenda oblationem. Loquitur autem de futuro, tanquam de presenti, ob prophetia certitudinem. Sic exponunt hunc locum omnes Patres: Iulianus Dial. cum Triphone. Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 32. 33. 34. Cyprianus lib. 1. contra Iudæos cap. 16. Eusebius lib. 1. demonstrationis Evangelicæ cap. ultimo. Augustinus lib. 18. de civit Dei cap. 35. & alij. Et patet ex ipsis verbis: opponit enim Propheta sacrificium sacrificio, Sacerdotem Sacerdoti, locum loco; panem pollutum, animalia cæca & clauda, oblationi munda; contemptum nominis, gloria nominis.

Mincha,

Confirmatur Primò, Ex nomine *oblationis*, quæ Hebraicè *MINCHA* dicitur: numquam enim in Scriptura oratio vel opus bonum vocatur absolute *Oblatio*, vel *Sacrificium*; sed cum adiuncto, *Sacrificium laudis*, *Sacrificium iustitiae*, *Hostia vociferationis*, *Vituli laborum*, &c. Deinde *MINCHA* in Scripturis significat certum sacrificij genus ex simila, oleo, thure; Leuit. 2. & 6: vnde aptè representat Eucharistiam.

Confirmatur Secundò, Quia hæc *oblatio* dicitur *munda*; idque non solum, quia incurta, & mundo ritu offertur; sed quia, vt ait Concilium Trident. sessione 22. cap. 1. *Malitia ministrorum non potest pollui*, sicut Sacrificia vetera. Talis autem *oblatio* est Eucharistia, eò quòd primarius offerens sit ipse Christus, qui etiam est ipsa hostia. Atqui opera bona, de quibus hunc locum exponunt heretici, non sunt *oblatio munda*: nam omnia, (ipsorum sententiâ) sunt polluta, & fæda, solumque ex Dei imputatione possunt dici *munda*: vnde non placent Deo, quia munda; sed contrà, idèo censentur munda, quia Deus acceptat illa. At Propheta loquitur de *oblatione*, quæ idèo placeat, quòd sit *munda*.

Confirmatur Tertio, Quia prædicitur *oblatio* Synagoga reicienda, & in eius locum noua quædam in Gentibus successura: atqui *oblatio* precum. & bonorum operum non successit sacrificio Iudaico, sed semper fuit.

Confirmatur Quarto, Quia dicitur per sacrificium Gentium Deum fore glorificandum, sicut per sacerdotes & sacrificia Synagoga cõtempus & inhonoratus: atqui fuit inhonoratus publicè, & in publicis sacrificijs: ergo per publicum, & externum sacrificium Gentium erat glorificandus. Denique, Quia ad solos Sacerdotes est sermo. At sacrificiū bonorum operū pertinet ad omnes.

Secundum Testimonium: Proverbiorum 9. v. Prouerb. 9. *Sapientia edificauit sibi domum, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam: quem locum Patres de Eucharistia intelligunt. Vide Cyprianum epist. 63. & Augustinum lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 20. Omitto alias prophetias obscuriores.*

Probatur Tertio, Ex Nouo Testamento: Dominus enim seipsum obtulit in cœna sub specie panis & vini; & idipsum præcepit fieri ab Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, cum dixit, *Hoc facite &c*: ergo Eucharistia celebratio est sacrificium. Maior est communis doctrina Patrum: Irenæi lib. 4. cap. 32. ubi ait, *Nouum testamentum nouam docuit oblationem*. Cypriani epist. 63. Gregorij Nysseni oratione prima de Resurrectione. Augustini in Psal. 33. concione 2. Ipse, inquit, *de Corpore, & sanguine suo sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech*. Et elegantissimè Concilium Trident. sess. 22. c. 1. Et Confirmatur ex verbis institutionis, Lucæ 22. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur; vel, vt Paulus habet, quod pro vobis frangitur. &c.* Hic est calix, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Atqui his verbis, *datur, frangitur, effunditur*, non tantum significatur dari vel effundi Apostolis in cibum & potum, sed maxime dari, & libari Deo in sacrificiū: non enim dicit *vobis datur*, sed *pro vobis*. Nec obstat in Latina editione haberi, *effunderetur*, quasi de sacrificio crucis ageretur; nam Græca constanter habet, *effunditur, datur, frangitur*: similiter Liturgiæ Patrum S. Iacobi, Basilij, Chrysostomi. Et confirmatur; quia calix non fuit *effusus* in cruce, sed in cœna. 1. Corint. 10. v. 21. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem demoniorum: non potestis mensa Domini participes esse, & mensa demoniorum*. His, & præcedentibus verbis Apostolus clarè docet: Primò, Sicut apud Gentiles & Iudæos fuit mensa sacra seu altare, & sacrificium, quod huic mensæ imponitur; ita apud Christianos esse sacra mensam; & loco sacrificij Corpus, & Sanguinem Domini, quæ huic imponuntur. Secundò, Sicut Iudæi sumunt hostias, & Gentiles idolothya ex suis altaribus: ita fideles sumere de mensa Domini, Corpus & Sanguinem Domini. Tertio, Sicut illi, qui spud Iudæos comedunt hostias, participes sunt altaris, id est, sacrificij; cõsentiant enim sacrificio, & interpretatiuè sacrificant: ita qui comedunt idolothya, præsertim in idolijs, sunt participes mensæ demoniorum, id est, consentiant sacrificio demonum, & censentur ijs sacrificare. Ex quo relinquitur intelligendum, Christianos, qui sumunt Eucharistiam, esse participes altaris Domini, ac proinde consentire in oblationem Eucharistia Deo factam, itaque Deo sacrificare.

Probatur Quarto, Ex Concilijs, & Patribus. Sed non est necesse hic immorari, nam hæretici fatentur, hanc esse Ecclesiæ, & Patrū sententiā. Lutherus enim in lib. contra Regem Angliæ, Ultimo, inquit, *dicia Patrum inducit Rex pro missario sacrificio; & ridet meam stultitiam, quod solus velim sapere*

18
2. Probatur
ex nouo
Testamen-
to.

Locus
1. Cor. 10.
per compara-
tionem
pulchre
explicatur.

19
4. Probatur
ex Concil.
& PP. vt
ipsi hæretici
fatentur.

scire pra omnibus: hoc est, quod dixi Thomisticos asinos habere nihil, quod producant, nisi multitudinem hominum, & vsum antiquum. Et l. de Missa priuata: Hic non curamus, si calamitent Papista, Ecclesia, Ecclesia: Patres, Patres: quia vt dixi, horu dicta, & facta in tam magnis causis nihil curamus: scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos. Verbo Christi iudicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos. Caluinus l. 4. Institut. c. 18. Et certe, inquit, si cogitamus Domini, non hominum conam esse, non est cur vlla hominum auctoritate, vel amorum praescriptione, patiamur nos ab illa vel latum vnguem dimoueri.

Probatur Quinto, Ratione: Si Eucharistiae celebratio non esset verum Christi sacrificium, Christiana Religio careret proprie dicto sacrificio, quo, publico ritu & nomine Deus colitur. Sed hoc est absurdissimum. Quod probatur:

Primò, Quia omnis Religio, siue vera, siue falsa, semper ad cultum diuinum adhibuit sacrificium: quod est signum, prouenire ex dictamine rationis naturalis; esseque saltem iuris Gentium, vt Deus sacrificio colatur. Atqui Christiana Religio est perfectissima religio: ergo non debuit carere omni sacrificio, sed potius debuit habere perfectissimum.

Secundò, Quia sacrificium est cultus externus Deo proprius, reliqui autè cultus conueniunt etiã creaturis: atqui omnis Religio instituitur ad colendum Deum: ergo omnis Religio debet habere cultum sacrificij; alioquin careret eo cultu, qui Deo est proprius, solumq; haberet cultus creaturis secundum se communes. Respondent haeretici; cultum Christianae Religionis esse internum, scilicet fidem, & orationem. Sed contra: quia non solum interno, sed etiã externo cultu Deum colere debemus: constamus enim non solum animo, sed etiam corpore; & sensibili externoq; cultu in vnam Religionem coalescere debemus, vt August. ait: & externus cultus est protestatio cultus interni; vnde coniunctus interno melior est, quam internus solus; praesertim ad impetrandum, & ad satisfaciendum, non ad merendum, ceteris paribus: vt patet Danielis 3. vbi tres pueri rogant Deum, vt ita placeat internus eorum affectus, quem tunc sacrificio protestari non poterant, quemadmodum placeret, si sacrificare possent.

Tertiò, Omnes causae, ob quas Iudaei habuerunt sacrificia, etiã in populo Christiano locum habent. 1. causa est, Quia Deum non solum animo, sed etiã corpore colere debebant. 2. causa, Quia summo, & proprio cultu debebant Deum colere. 3. Quia mortem Christi, ex qua salus omnium saeculorum pendet, saepe commemorare, & veluti representare debebat, utpote qui eam praesentem non cernerent. 4. Vt Deum placarent, vel pro beneficiis perceptis gratias agerent, vel vt noua impetrarent. Quae omnes causae etiam apud nos valent.

Quartò, Habebant Iudaei Praecepta, Sacramenta, & Sacrificia. Atqui praeccepta non sustulit, sed explicuit, Matt. 5. Sacramenta autem in alia veriora, & praestantiora Sacramenta mutauit: ergo similiter sacrificium non omnino debuit tollere, sed in melius mutare; praesertim, cum sacrificium non pertineat proprie ad legem Mosaicam, sed ad legem naturae: quare nullo modo debuit tolli per legem nouam, sed ad praestantissimum & efficacissimum determinari.

Quintò, Cum in Eucharistia sit verè Corpus, & Sanguis Christi, tanquam res permanens; maxi-

mè idonea est, vt Deo offeratur. Cur ergo non offeratur? Est enim omnium donorum Dei praestantissima. Quod autem praestantissimum est, aptissimum est, vt offeratur Deo. Item cur reliqua Sacramenta in vsum sita sunt, & non nisi ab alio sumi possunt; istud autem est quid permanens, & ab ipso Ministro sumitur, nisi vt possit offerri in sacrificium, & ab offerente sumi?

Sed obijciunt haeretici. *Christus est vnicus Sacerdos, & quidem in aeternum*: ergo non sunt alij Sacerdotes in Ecclesia: ergo nec aliquod sacrificium praeter sacrificium crucis. Probatur Cosequentia: Tum quia multiplicatio Sacerdotum repugnat vnitati sacerdotij Christi: tum quia in veteri lege idèd erant multi Sacerdotes, *quod morte prohiberetur permanere*: at Christus manet in aeternum.

Resp. Quia Christus est Sacerdos in aeternum, idèd non habet successores, vt rectè docet Apost. ad Hebr. 7. Neesse tamè est, vt habeat vicarios, quia per se non amplius offert: debet ergo saltem per vicarios offerre, vt Sacerdos dici possit in aeternum. Multitudo autem vicariorum non repugnat vnitati sacerdotij Christi: sicut multitudo vicariorum Regis in multis locis, non impedit, quòd minus sit vnicus Rex, vnus summus Princeps. Simili modo Christus est vnicus Doctor, vnicus Magister, vnicus Pastor noster: tamè possunt esse multi Doctores, multi Magistri, multi Pastores vicarij sub Christo: sicut sub Aarone erant multi Sacerdotes inferiores. Ratio à priori est: quia sacerdotium Christi est sublimius, & vniuersalius; cuius participatio quaedam dumtaxat est sacerdotium nostrum: cuius signum est, quòd sacerdotium Christi fundetur immediatè in vnione hypostatica, nostrum in caractere per Sacramentum Ordinis impresso.

Obijciunt Secundo, Sacrificium crucis habet vim infinitam: ergo sacrificium Missae est superuacaneum. Confirmatur, Quia Apostolus ad Heb. 10. docet Christum vnica oblatione consummasse in perpetuum sanctificatos; & acquisita semel remissione peccatorum, nullam amplius testare oblationem.

Resp. Si hoc argumentum valeret, sequeretur etiam superuacanea fuisse legis naturae, & legis veteris sacrificia omnia: nam etiam homines illius temporis vi sacrificij crucis sanctificati sunt. Item superuacaneum esse baptismum, orationem; imò ipsam quoque fidem, cui haeretici omnia tribuunt: nam cum virtus sacrificij crucis sit infinita, abundè sola sufficit. Quare dicendù est, etiamsi virtus sacrificij crucis sit infinita, tamen sacrificium Eucharistiae non esse superuacaneum, quia applicat nobis portionem aliquam fructus sacrificij crucis; vt docet Tridentinum sess. 22. c. 2. sicut etiam Sacramenta non sunt superflua, quia eiusdem sacrificij fructum nobis applicant. Virtus enim sacrificij crucis est veluti causa vniuersalis, quae nobis ex diuina institutione applicari debet per Sacramenta, per sacrificium Eucharistiae, & per bona opera.

Ad confirmationem, Christus vnica oblatione crucis consummasuit genus humanum, nempe ex parte sua, & in praeparatione diuinae voluntatis: nam ex parte sua satis praestitit ad omnium hominum salutem; quam etiam diuina voluntas parata est conferre omnibus, quibus oblatio crucis applicabitur: nam oblatio crucis ita Deo grata fuit, vt propter eam paratus sit omnibus hominibus dare remissionem omnium peccatorum, ornamenta omnium virtutum, & vitam aeternam ijs, quibus eius

20
1. Prob.
Ratione.

1. Ratio.

2. Ratio.

Non tantum
interno, sed
& externo
cultu Deum
colendus.

3. Ratio.

Vt Iudaei,
ita & Christi-
tiani debent
habere sa-
crificium.

4. Ratio.

5. Ratio.

21
Solentur
obiectiones
haereticorum.

Christus
est vnicus
Sacerdos in
aeternum.

22
2. Obiect.

Solutio.

Christus
vnica obla-
tione Cru-
cis consum-
masuit in
perpetuum
sanctifica-
tos.

virtus, per media à Christo instituta, applicaretur. Pari modo per oblationē crucis facta est remissio omnium peccatorum totius mundi; nempe in preparatione diuinæ voluntatis: quia sufficiens pretium oblatum est, ob quod Deus paratus est omnia mundi peccata condonare, si illud hominibus debite applicetur; & ita nõ requiritur alia oblatio pro peccato; quã nimirum nouum pretium acquiratur. Requiritur tamen alia oblatio, quã pretium applicetur, sicut requiritur Baptismus, & alia Sacramenta; nam ex parte hominum nondum est facta remissio omnium peccatorum.

23. Obijciunt Tertiò, Eucharistia est Sacramentũ, & Testamentum Christi, *Hic est calix nouum Testamentum*: ergo non est sacrificium. Prob. conseq. Quia *Sacramentum* est actio Christi, *Sacrificium* autem est actio nostra. Item, *Testamentum* est id, quod nobis dedit Christus; *Sacrificium* autem est id, quod nos damus Christo.

Solutio. Resp. Etiã *Sacrificium Eucharistia* est actio Christi: Christus enim est Summus Sacerdos, qui principaliter offert per manus Ministrorũ suorum; vt rectè Tridentinum sess. 22. c. 2. Neque etiam absurdum est, idem esse nobis à Deo datũ, & à nobis Deo oblatum: quia quidquid offerimus Deo, ab ipso accepimus. Itaq; nihil obstat, quo minũs Eucharistia sit *Testamentum, Sacramentum, & Sacrificiũ*: est enim *Testamentum*, tum quatenus continet diuinam promissionem, eamque veluti instrumentum authenticum nobis applicat: tum quatenus inter cetera bona eximia, quã Christus moriens nobis reliquit, hoc est præstantissimum; quod enim testamento relinquitur, rectè *Testamentum* vocatur. Est *Sacrificiũ*, quia relictum est, vt Deo offerremus. Est *Sacramentum*, quia etiam relictum est ad sanctificationem animarum nostrarum.

24. Obijciunt Quartò, Quidã Patres docent Christum in seipso tantũ semel esse immolatum; & Eucharistiam huius immolationis esse representationem: ergo volunt solũ esse sacrificium figuratum, quatenus est representatio huius sacrificij.

Solutio. Resp. Solũ volunt dicere Christũ in Eucharistia non immolari re ipsã; id est, non cruentè offerri & occidi, sicut in cruce immolatus fuit; sed solũ immolari representatione. Propriè enim immolari dicitur res viuã, quãdo occiditur; Christus autè in Eucharistia verè non occiditur, sed solũ mysticè, & representatione. Hinc tamen non sequitur, quin verè offeratur licet alia ratione, nempe sub specie rei inanimã: & hoc etiam vult D. Tho. a. 1. Quod autem Patres non velint, Eucharistiam esse nudam representationem sacrificij, sic vt non sit verum sacrificiũ; patet ex Cypriano epist. 63. vbi dicitur, *Hoc esse plenum & verum sacrificiũ*: ex Chrylost. hom. 60. ad Populum; & alijs Græcis Patribus, qui hoc Sacrificiũ vocant, *Sacrificiũ terribile, & plenum horrois*: & August. l. 10. de Ciuit. c. 20. vbi vocat *Summum ac verissimum sacrificiũ*. Simili modo dicunt Patres, *Corpus & Sanguinẽ Domini offerri in Eucharistia*. At si solũ esset representatio & figura Sacrificij, non diceretur offerri.

DVBIVM VI.

In quibus actionibus consistat hoc Sacrificiũ?

25. Notandum est, In Missa esse sex partes, de quibus potest esse dubitatio, an pertineant ad essentiam, seu rationem huius sacrificij. Prima est,

Oblatio panis & vini per eleuationẽ cum verbali oratione. Secunda est, Cõsecratio. Tertia est, Oblatio Corporis & Sanguinis Christi post cõsecrationem facta certis verbis, nempe his: *Offerimus præclaræ Maiestati tuæ panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ*. Quarta est, Fractio & commixtio. Quinta est, Consumptio facta per Sacerdotem. Sexta est, Distributio facta populo. De Missa Catechumenorum, quã extenditur à principio vsque ad oblationem panis, nulla potest esse dubitatio.

Dico Primò, Oblatio vocalis panis & vini, neque ad essentiã huius sacrificij, neque ad eius integritatem pertinet. Ita ferè DD. Vide Alanũ l. de Sacrif. c. 18. & Bellarmi. Ratio est: Quia est nuda cæremonia introducta ab Ecclesia ad excitandam deuotionẽ: imò ante quingentos annos nõ fuit in Ecclesia Romana; vt ostèdit Bellar. ex Micrologo.

Dices, Saltem realis oblatio ad rationem huius sacrificij pertinet: nõ enim potest hoc Sacrificiũ offerri, nisi materia consecranda in honorem Dei exhibeatur: atqui hoc ipso, quo profertur materia ad honorẽ Dei immutanda, censetur Deo offerri.

Resp. Nullam realem oblationem panis & vini esse necessariam, præter eam, quã conuertuntur in Corpus & Sanguinem Christi; vt statim patebit; reliquæ omnes oblationes, quæ excogitari possunt, sunt nudæ cæremonia: ad rationẽ huius Sacrificij non necessaria. Vnde non rectè dixit Casalius l. 1. de Sacrif. c. 20. esse duo Eucharistiæ sacrificia; alterum panis & vini, alterũ Corporis & Sanguinis Domini. Nam eadẽ indiuisibili actione hæc omnia offeruntur; panis quidem & vinum, vt terminus à quo consecrationis; id est, non vt hostia, quæ propriè offertur, sed vt id, ex quo hostia conficitur. Non enim ipsa desitione panis & vini potissimum intendimus colere Deũ, sed positione Corporis & Sanguinis Christi sub illis speciebus: vnde Corpus & Sanguis Christi offertur, vt terminus ad quem consecrationis; quomodo offertur id, quod ipso actu sacrificandi, est productum.

Dico Secundò, Hoc sacrificiũ etiam non cõsistit in illa verbali oblatione, quæ fit post consecrationem. Probatur, Quia verbalis oblatio non est necessaria ad sacrificiũ, sed sufficit realis: non enim necesse est dicere *Offero*, sed satis est in actu exercito offerre: vt patet in sacrificijs veteribus. Secundò, Quia Dominus eam non adhibuit. Tertiò, Illa oblatio nihil facit circa rem oblatam: nõ enim eam vllò modo immutat, sed solũ est extrinseca locutio, significãs id, quod fit; ac proinde per eam non fit oblatio, sed supponit oblationem sacrificij. Denique, ad eam oblationem verbalem non est opus consecratione, aut potestate supernaturali: ergo nullo modo dici potest in ea consistere essentiam sacrificij.

Dico Tertiò, Neque etiã fractio aut mixtio ad huius sacrificij rationẽ pertinet. Est contra Melchiorẽ Canum lib. 12. de locis c. 13. Probatur; Quia Dominus videtur *fregisse* ante consecrationem; idque fecit, non in cæremonia, sed ad vsum, scilicet ob distributionem: nostra autem fractio fit post consecrationem, & solũ ad cæremoniam, non ad distributionem. Deinde, non est absolutè necessaria: quid enim, si hostia incideret in calicẽ ante fractionem? Denique, in Liturgia D. Basilij nulla fit eius mentio. Vnde satis patet esse nudam cæremoniam significatiuam.

Dico

26. Oblatio Panis & Vini circa Offerriõ non est de ratione sacrificij.

Arguitur Casalius.

27. Neb oblatio verbalis post consecrationem.

28. Item nec fractio vel mixtio.

29 Nec distributio facta Populo.

Dico Quartò, Distributio facta populo, seu sumptio populi, etiam non est necessaria ad perfectionem huius sacrificij: patet ex Concil. Trid. sess. 22. c. 6. & can. 8. Probatur; Quia Christus non præcepit hanc distributionem fieri quotiescunque hoc sacrificium offertur: ergo non pertinet ad eius perfectionem; non enim potest ad perfectionem eius pertinere, quod Dominus non præcepit. Ratio est; Quia tota actio sacrificandi fit à Sacerdote; sumptio autem est actio populi.

30 Consecratio vel solâ, vel maxime pertinet ad rationem huius sacrificij.

Dico Quintò, Consecrationem Corporis & Sanguinis Domini, vel solâ, vel potissimum pertinere ad rationem huius sacrificij. Est communior sententia Doctorum, D. Thomæ hac q. 2. 4. & suprâ q. 80. a. 1. 2. ad 3. Gabrielis lect. 26. in Canonè. Bellarm. lib. 1. de Missâ c. vlt. Ruardi a. 6. & aliorum.

1. Probatur Scripturâ.

Probatur Primò, Ex Scriptura: Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: quibus verbis constituit Dominus Apostolos Sacerdotes novi testamenti; iisque, & eorû in sacerdotio successores præcepit, ut offerret Corpus suum & Sanguinem, sub specie panis & vini; ut inquit Concilium Trid. sess. 22. c. 1. Atqui his verbis potissimè præcepit consecrationem: hanc enim potissimum commemorant Euangelistæ ipsam fecisse; & per hanc eius passio potissimum representatur: ergo oblatio potissimum consistit in consecratione. Confirmatur, Quia potestas sacerdotalis, quam Dominus his verbis contulit, est merè supernaturalis & diuina, & consistit in charactere sacerdotali; hic enim formaliter constituit sacerdotem nouæ legis, cum sit participatio sacerdotij Christi. Atqui character per se & directè est potestas cõsecrandi Corpus & Sanguinem Christi: ergo potestas sacerdotalis est potestas consecrandi Corpus Christi: ergo consecratio Corporis Christi est actus directus sacerdotum, & consequenter est oblatio sacrificij: nam sola oblatio sacrificij est proprius & directus actus sacerdotij, ut sacerdotium est.

2. Ex Patribus.

Probatur Secundò, Ex Patribus: Ireneus lib. 4. contra hereses c. 32. dicit *Christum docuisse noui Testamenti nouam oblationem, quando dixit, Hoc est Corpus meum*. Cyprian. serm. de Cœna Domini, ait, *Cum verbis consecrationis panis benedicitur Eucharistiam fieri medicamentum, & holocaustum*. Chrysost. hom. de proditione Iudæ, *Verba Domini, Hoc est Corpus meum, usque ad finem mundi præstare sacrificio firmitatem*.

3. Ex Rationibus.

Probatur Tertio, Ratione. Primò, Quia principalis offerens in nostro sacrificio est ipse Christus; ut Conciliû Trid. docet aliquoties: ergo illa actio potissimum est de essentia huius sacrificij, quæ fit in persona Christi. Atqui nulla est, quæ magis, & verius fiat in persona Christi, quàm consecratio; in ea enim loquitur Sacerdos tanquam ipse sit Christus: ergo cõsistit in consecratione. Secundò, Hoc sacrificium est representatiuû sacrificij crucis, seu effusionis sanguinis factæ in cruce. Atqui hæc representatio potissimum fit per consecrationem, dum Corpus & Sanguis seorsim ponuntur ex vi verborum sub diuersis speciebus, tanquã partes victime occisæ. Tertio, Si consecratio non est de essentia huius sacrificij, nulla actio essentialis huius sacrificij expressa est ab Euangelistis; quod omnino est incredibile. Nam cum Lucas referat Dominum dixisse, *Hoc facite in meam commemorationem* (quibus verbis præcepit eis suam actionem imitari) debebat sanè illa actio exprimi, quæ maxime imitanda erat.

Quarta.

Quartò, Si consecratio non fit de essentia, poterit

Sacerdos offerre sacrificium sine cõsecratione, per solam communionem quotiescunque volet: quod tamen est contra sensum communem Doctorum. Deinde sumptio Sacramenti, & oblatio sacrificij non differunt ritu externo, sed sola intentione ministri fumentis; quod etiã absurdum est. Nã sacrificium externum debet ritu externo, nõ sola intentione, distingui ab usu Sacramenti: alioqui quomodo sciretur à populo sacrificium offerri? Quintò, Consecratio est excellentissima functio Sacerdotis, qua maxime declaramus Dei potestatem, & eminentiam: ergo in ea maxime debet ratio sacrificij constitui, quod est diuinæ eminentiæ protestatio.

Quibram.

Hinc patet non esse probandam quorundã sententiam, qui dixerunt consecrationem esse solum quid præuium sacrificio, non autem intrinsecè in ipsa sacrificandi actione includi: quomodo operatio illa diuina, qua Verbum Diuinum est incarnatum, est quid præuium sacrificio crucis; & generatio hostiæ est quid præuium eius oblationi: ipsam autem sacrificij essentiam consistere duntaxat vel in verbali oblatione Corporis & Sanguinis Christi positi in altari, vel in sumptione.

Quorundã sententia rejicitur.

SED DIFFICULTAS EST

Qua ratione consecratio ad essentiam huius sacrificij pertineat?

Missis varijs sententijs: Respondeo, Eatonus consecratio pertinet ad essentiam huius Sacramenti, quatenus per realem mutationem constituit Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini; ad honorem Dei. Quod ut intelligatur:

31 Quæ ratio. ne consecratio pertineat ad essentiam huius sacrificij.

Notandum est; Non solum actione, qua res destruitur, nos posse protestari diuinum principatum & omnipotentiam, nostramque subiectionem; sed etiam actione, qua res cõstituitur, & quodammodo ad honorem Dei producit. Nam actio libera productus rei, nõ minus est idonea ad significandam diuinam potentiam, & dominationem super omnia, quàm actio destruens: ergo ad hoc significandum potest institui; præsertim à Deo, cuius est determinare, quibus actionibus, & rebus coli debeat: sicut si vellet coli mutatione aque in vinum, & idcirco institueret ut certis verbis fieret in honorem ipsius à publico ministro, hæc mutatio esset sacrificiû. Quare, cum Christus vellet nos habere eandem hostiam, quam ipse semel pro nobis obtulit in cruce, ut per eandem Deum coleremus & omnia beneficia impetraremus, per quam redemptio & salus nobis parta est; & hanc non possemus habere, nisi supernaturali potestate rursus quodammodo apud nos produceretur, nouum & admirabile sacrificij modum instituit, quo nõ rem aliquam iam antè apud nos existentem, ut in omnibus alijs sacrificijs fieri solet, Deo offerimus, sed quo ipsam hostiam admirabili operatione ad honorem Dei, sub specie panis & vini mysticè mactatam poneremus. Qui sanè modus maxime consentaneus erat dignitati huius hostiæ; quæ talis est, ut Deus magis honoretur eius positione, quàm destructione; præsertim cum iam sit immortalis. Secus est de alijs rebus, quæ naturaliter existunt, & deinde in honorem Dei consumuntur: nam per earum productionem, cum à causis naturalibus pendeant, non sic possumus testari diuinum principatum, sicut per destructionem. Vnde

Non sola actione destructiua, sed & productiua, protestamur supremum Dei in nos deum inuim.

Notanda est diuersitas inter modum huius sacrificij & aliorum: quod in alijs sacrificijs id, quod

Differētia
inter sacri-
cium Eua-
charistiæ
& reliqua
sacrificia.

quod primariò offertur, sit materia oblationis, vel potius terminus à quo, ac proinde ipsi oblationi supponatur; id autem quod secundariò, sit terminus ad quem oblationis, seu actionis sacrificialis: verbi gratia, quando sacrificatur ovis, terminus à quo, est ovis viua, quæ potissimum dicitur sacrificari, quatenus ad honorem Dei, eius vita perimitur; vnde etiam supponitur oblationi: terminus autem ad quem, est caro eius mortua & sanguis effusus; hæc enim efficiuntur per oblationem, & secundariò per illam offeruntur. Sed contrariò modo fit hæc: nam id, quod primariò offertur, est terminus ad quem mutationis seu oblationis, ac proinde non supponitur oblationi, sed fit per eam, nempe Corpus, & Sanguis Christi separatim sub specie panis & vini posita. Id autem, quod secundariò offertur, est materia oblationis, seu terminus à quo, nempe panis & vini substantiæ, quæ perimuntur: nam etiam hæc suo modo ad substantiam huius sacrificij pertinent, considerati vt à Christo est institutum: sicut ad rationem mutationis suo modo pertinent termini, qui per mutationem desinunt.

33
Ratio, sub
qua conse-
cratio per-
tinet ad
essentiam
huius sa-
crificij.

Hinc patet Primò; Qua ratione pertineat consecratio ad essentiam huius sacrificij; nempe quatenus per eam constituitur Corpus, & Sanguis Christi seorsim ex vi verborum sub specie panis & vini, tanquam partes hostiæ mactatæ: nam sic per consecrationem fit aliquid sacrum circa rem oblatam, eiusque materiam; id est, aliqua mutatio mystica, seu significatiua alicuius rei sacre, & quidem duplicis: nam quatenus per eam panis mutatur in Corpus, & vinum in Sanguinem, significamus omnia diuinæ potentiæ esse subiecta, & omnia ab ipso pendere: quatenus autem hæc ponuntur seorsim, significamus effusionem Sanguinis in cruce. Prior significatio pertinet ad rationem huius sacrificij, quæ sacrificium est: Posterior autem pertinet, quæ est sacrificium representatiuum sacrificij crucis: vtraque tamen pertinet ad essentiam huius sacrificij, vt à Christo est institutum: sicuti ad essentiam sacrificij agni pertinebat non solum occisio, sed etiam assatio, & osium integritas: sine his enim non tam fuisset sacrificium, quam sacrilegium.

Ipsa conse-
cratio est
simul obla-
tio in hoc
sacrificio.

Patet Secundò, Vnâ eademque potestate & actione consecrari Corpus, & Sanguinem Domini, & offerri. Nam oblatio, seu consecratio eius nihil est aliud, quam consecratio, quæ ponitur sub specie panis & vini, ex ordinatione diuina significans diuinum principatum & sacrificium crucis. Itaque quicumque consecrat, hoc ipso necessariò sacrificat; & contrà: neque possunt hæc vnquam separari, modò vtriusque speciei fiat consecratio. Nec refert, etiamsi quis expressè intendat non offerre: si enim intendit absolute consecrare, hoc ipso intendit implicite, & in effectu offerre: nam ipsa consecratio ex institutione diuina, intrinsecè est sacrificij oblatio, & eadè potestate perficitur: sicut qui intendit conferre Sacramentum, hoc ipso implicite intendit sanctificare, etiamsi expressè id nolit.

Quid offer-
ratur in
hoc sacri-
ficio.

Patet Tertiò, Non solum id offerri, quod oblationi supponitur, eamque antecedit; sed etiam id, quod per eam efficitur: potest enim actus sacrificandi ita esse efficax, vt ipsam hostiæ ad honorem Dei producat, siue illa hostia vterius sit mutanda, siue non: nam illa mutatio, quæ fit tum circa

materiam hostiæ, tum circa ipsam hostiam, dum sic producitur, sufficere potest ad rationem sacrificij.

Patet Quartò, Quomodo in mysterio Eucharistiæ differat ratio Sacrificij, & Sacramenti. Nam ratio Sacrificij potissimum consistit in cōsecratione vtriusque speciei: Sacramentum autem in termino consecrationis, seu sacrificij; ita tamen, vt vtraque species seorsim sit perfectum Sacramentum.

Dico Sextò, Valdè probabile est etiã pertinere sumptionem ad rationem huius nostri sacrificij, quatenus est mystica hostiæ consumptio facta à Sacerdote. Insinuat D. Thomas infra art. 6. Tenet Melchior Canus lib. 12. de locis c. 13. Dom. Soto dist. 13. q. 1. art. 6. & 8. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. vltimo: & multi alij.

Notandum tamen, hoc nõ esse sic intelligendū, (vt quidam volunt) quasi sine sumptione consecratio nullo modo possit habere rationem sacrificij; aut sumptio sit principalis actio huius sacrificij; neutrum enim verum est. Si enim consecratio cōparetur cum sumptione, est multò principalior: est enim magis supernaturalis, directè requirens supernaturalem potestatem; magis etiam insinuat diuinam potentiam & dominationem, & sacrificium crucis; & in ipsa potuisset tota ratio huius sacrificij consistui, si Christo ita fuisset visum, Tamen quia voluit sacrificium nostrum esse holocaustum, quod est perfectissima sacrificij forma, voluit etiam illud consumi: hoc enim ad rationem holocausti requiritur. Et ided ipsa sumptio facta per Sacerdotem, quatenus est mystica quedam hostiæ consumptio, & peremptio, etiam pertinet ad rationem huius sacrificij; sicut ipsa sumptio ad rationem sacrificij Melchisedech, iuxta communem sententiam pertinebat. Neque mirum videri debet, duas actiones constitui de ratione vnus sacrificij; quia id etiam videmus in sacrificijs veteris legis: primùm enim animal priuabatur vitâ, deinde carnes comburebantur. Nunc

Probatur Primò, Prioris ad Cor. 11. v. 24. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur: Hic calix Sanguinis mei, qui pro vobis effunditur: hæc fractio, & effusio hæud dubiè pertinent ad rationem sacrificij: dicitur enim pro vobis frangitur, pro vobis effunditur: Atqui frangi, est cum fractione & peremptione immolari: effundi, cum effusione libari: significatur enim his nominibus oblatio coniuncta cum fractione & effusione. Sed hæc fractio & effusio fit per sumptionem: ergo sumptio pertinet ad rationem huius oblationis.

Secundò, Quia nostra Religio nõ solum debet habere perfectissimam hostiam, sed etiam perfectissimam sacrificandi formam: sed hæc forma cernitur in holocausto, de cuius ratione est consumptio: ergo actio, qua consumitur, pertinet ad eius substantiam.

Tertiò, Quia si consumptio non esset de substantia sacrificij, non posset dari vlla ratio, cur iure diuino necessaria sit hæc sumptio Sacerdotibus: holocausta enim veteris testamenti nõ edebantur.

Quartò, Cur Ecclesia tantoperè semper curauit, vt Sacerdos sumeret oblata, aded vt non sumentem suspendat vno anno? vt patet Canone Relatum, de Consecratione dist. 2. Et si contigerit sacerdotem mori post consecrationem, cur iubet alium perficere; nisi quia existimauit id necessarium ad perfectionem huius sacrificij?

Quintò,

Differētia
ratio sacri-
ficii & sa-
cramenti.

33
Sumptio
sacerdotis
etiam per-
tinet ad
rationem
huius sa-
crificij.

6. Rationes

Prima.

Secundò,

Tertiò,

Quarta.

Quinta.

Quinto, Si sumptio non esset de ratione huius sacrificij, non magis esset necessaria, quam fractio, aut oblatio verbalis: non enim est fundamentum, unde colligatur maior necessitas.

Sexta.

Sexto denique, Si contingat araneum incidere in calicem consecratum, debet alius calix consecrari; idque ideo, quia prior non poterat sumi. Quid opus erat alio calice, si in consecratione prioris erat perfectum sacrificium?

Dices, Nostrium sacrificium offertur à Sacerdote in persona Christi: atqui sumptio non fit in persona Christi: ergo &c.

An tota Actio in hoc Sacrificio fiat in Persona Christi.

Respondeo Primò, Non facile probari potest totam actionem, qua offertur hoc sacrificium, debere fieri in persona Christi: sufficit enim primariam sic fieri, præsertim cum sumptio sit etiam vsus Sacramenti, qui fit ad propriam sanctificationem. Respondeo Secundò, Etiam sumptio Sacerdotis fit aliquo modo in persona Christi, sicut & aliorum Sacramentorum consecratio: cuius signum est, quod ipse sumat, non sicut Apostoli in cæna, qui ut Laici sumebant porrecti ab alio; sed sicut Dominus, sua potestate præferens, & sibi porrigens sua dona.

Ex hætenus dictis ferè patet responsio ad quatuor subiectas propositiones, de quibus non ita pridem rogatus. Itaque

QUÆRITUR QUID SENTIENDUM DE QUATVOR SVBIECTIS PROPOSITIONIBVS?

Prima, Ad essentialem rationem sacrificij, prout est de iure natura, non requiritur mutatio; quæ tamen requiritur ad hoc vt oblatio sacrificij rationem habeat, prout sacrificij vox in Scriptura sumitur, & ratio etymologia requirit.

Secunda, Formalis ratio cuiuscunq; sacrificij est oblatio seu relatio ad Deum: hostia autem & quæ circa eam accidunt, materia.

Tertia, Formalis ratio sacrificij Missæ, quatenus est sacrificium propriè dictum, est presentatio hostiæ Deo facta in recognitione summi dominij, cui ex instituto Christi, adiuncta est presentatio eiusdem hostiæ in memoriâ dominicæ passionis ad propitiationem, & sic, vt hæc omnia simul concurrant ad essentialiam sacrificij Missæ.

Quarta, Inter predictos modos quibus dicitur sacrificium Missæ offerri, prioribus repudiatis, duo illi probabiles sunt, quibus dicitur illud offerri, aut quia in altari ponitur, aut per verba offerimus: & hæc sententias posse retineri donec ab Ecclesia aliquid declaretur.

Prima propositio non videtur admittenda.

Respondeo Primò: Prima propositio videtur à veritate aliena. Primò, quia si ratio sacrificij pro vt est iuris natura, nõ requirit mutationem: ergo solum ex lege positiua diuina vel humana; atqui hoc verum non est; tum quia nec Scriptura nec Patres talis legis positiuæ meminere, qua statutum sit, vt sacrificia Deo per mutationem rerum offerantur; tum quia gentiles sacrificia sua per mutationem offerebant, siue animalium, siue rerum inanimatarum, vt thuris, salis, vini: nec facile quis inuenerit apud eos sacrificia appellari, in quibus nulla fiebat mutatio. Secundò, Ratio naturalis dicitur diuinum numen esse colendum interemptione rerum in ipsius honorem facta; vt sic testemur omnia nos ab ipso habere, & ipsum habere perfectum dominium in omnia, & vitæ necisque potestatem: ergo ius naturæ dicitur hanc mutationem in sacrificio adhibendam; nam sacrificium est perfectissimus actus externus, quo Numen colitur;

Sacrificia gentiliam.

unde etiam diuino Numini est proprium; vt docent omnes Doctores, Tertio, quia Scriptura ad rationem sacrificij requirit mutationem rerum ad honorem Dei factam: atqui Scriptura non requirit aliquid ad rationem sacrificij in genere, nisi quod lege natura requiritur, nempe sacerdotium, altare, hostiam, & hostiæ interemptionem in honorem Dei; vt patet ex ijs locis quibus loquitur de sacrificijs legis nature. Unde hæc propositio nõ videtur sibi satis constare. Addo, neminem Doctorem veterum aut recentiorum, quod sciam, tradidisse sacrificij rationem prout est legis nature, non requirere mutationem. Unde hæc propositio videtur etiam nonnihil nouitatis & temeritatis continere; Quod enim sine authore asseritur & sine sufficienti ratione, in materia Theologica non caret temeritate.

Scripturæ.

Est contra communem sententiam DD.

2. Propos. simpliciter repugnat communi.

Respondeo Secundò: Secunda propositio duas habet partes, quarum neutra videtur vera, imò vtraque contra communem sententiã Doctorum. Nam si ratio formalis sacrificij consistit in oblatione seu relatione ad Deum præcisè; sequitur manifestè ad rationem sacrificij non requiri mutationem; quod est contra supra dicta, & contra communem sententiã Doctorum; qui distinguunt sacrificium ab oblatione Deo facta, quod sacrificium fiat per interemptionem rei. Deinde, oblatio primitiarum & primogenitorum erit verè & propriè sacrificium, contra communem sententiã, & modum loquendi Scripturarum: quia est oblatio Deo facta in recognitionem supremæ potestatis & supremi dominij. Præterea, castigatio carnis facta ad honorandum Deum in corporibus nostris, tanquam authorem & dominum eorum, erit sacrificium; imò omne opus bonum præsertim externum ad hunc finem relatum: nam ratio formalis ei conueniet. Possunt enim hæc fieri non solum propter Deum, tanquam propter finem quem promereamur, sed etiam ad ipsum honorandum tanquam supremum Monarcham & Dominum. Præterea, hæc ratio sacrificij videtur omnino conuenire cum ea, quam assignat Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 13. vbi dicit Sacrificium esse quicquid Deo offertur; & cum ea, quam Lutherani: Sacrificium est sacra actio ad hoc principaliter instituta, vt per eam ressemur nos Deum pro vero Deo agnoscere, eumque honore afficiamus. Qui hæretici passim à Catholicis Doctoribus refutantur, vt à Bellarmino, Gregorio à Valencia &c. nõ quod mutationem à ratione formali excludant. Denique, non satis videtur constare cum prima propositione, in qua dicitur sacrificij rationem prout in Scripturis sumitur, includere mutationem: inde enim sequitur, verum nõ esse sacrificij cuiusque rationem formalem consistere in relatione ad Deum, nempe præscindendo à mutatione.

Oblatio primitiarum &c.

Castigatio carnis.

Caluinus. Lutherani.

Altera pars etiam vera non videtur: si enim omnia quæ circa hostiam accidunt ad materiam pertinent: ergo & ipsa mutatio: ergo hæc non pertinet ad rationem formalem, contra supra dicta, & contra primam propositionem. Item, ergo sacrificium non habet rationem formalem externam & sensibilem, sed relationem duntaxat internam insensibilem: si enim relatio in Deum est ratio formalis, & ea quæ fiunt circa hostiam sunt materia: ergo ratio formalis est interna, non externa; nam externæ actiones materiae accidunt. Atqui oportet etiam dare rationem formalem externam

Materia.

ternam (nam loquimur de externo sacrificio quatenus externum est, & obiectum actus interni) sicut in oratione & elemosyna externa datur ratio formalis externa, per quam opera externa sunt idonea obiecta voluntatibus internis. Denique communis sententia Doctorum mutationem materiam ponit pro forma specifica sacrificij, per quam ab oblatione & primitiis distinguatur. Unde & hæc pars contra communem sententiam videtur.

3. Propositio non videtur probabilis.

Respondeo Tertio: Tertia propositio quatenus ponit presentationem hostiæ factam Deo in recognitionem summi dominij, esse formalem rationem sacrificij Missæ, non videtur probabilis, si præcisè & tantum in ea presentatione rationem formalem ponat. Primo, quia omnes auctores, quantum memini, in ratione sacrificij Missæ tanquam partem principalem & essentialem includunt consecrationem, quamvis diuersitas sit in modo explicandi: dicere ergo quod eius ratio consistat in presentatione illa, est contra communem sententiam Doctorum. Secundo, si consistat in illa presentatione: ergo ad offerendum sacrificium nõ requiritur ordinatio per Sacramentum Ordinis, quo diuina illa potestas confertur sacerdotibus, sed solum ad aliquid præuii sacrificij, nempe ad consecrandum; quod est contra formam ordinationis, *Accipe potestatem offerendi*: nam in ea non fit expressè mentio nisi potestatis offerendi. Consequentia patet, quia ad præsentandam Deo hostiam consecratam, dicendo, *Offero tibi Domine Corpus & Sanguinem Vnigeniti tui &c.* non requiritur vlla potestas supernaturalis, nam quis fidelis eam facere potest, saltem secundum substantiam operis, vt auctor fatetur; sicut potest administrare Eucharistiam secundum substantiam operis. Dicere autem quemuis fidelem per se sacrificij Missæ offerre quoad substantiam operis, est omnino à veritate alienum; imò errori proximum; sic enim modo quodam omnes erunt veri sacerdotes, quia verum sacrificij nouæ legis secundum substantiam operis offerre possunt; & idem sacrificium erit Laici & Sacerdotis; nam substantia & intrinseco valore idem erit. Si dicas laicum non iure offerre, sacerdotem iure; sicut laicus non iure administrat Eucharistiam, sacerdos autem iure & legitime, & ad hoc opus ei esse potestate ordinis: hoc non satisfacit; Primo, quia hoc non minuit dignitatem & valorem Sacrificij in se; cum enim substantia sacrificij sit eadem, eadem quoque erit dignitas, idem valor ex opere operato, sicut eadem est portio hostiæ per laicum & per sacerdotem: imo in necessitate laicus poterat olim Eucharistiã porrigere & sibi & alteri, saltem mediante vasculo. Verum igitur erit laicos offerre sacrificium Missæ non minus quam sacerdotes; & eorum sacrificium non esse minoris pretij quam sacerdotum, quod est omnes laicos facere sacerdotes saltem respectu substantiæ sacrificij, quod videtur hæreticum. Secundo, etiam iure laicus offeret; nulla enim lex diuina, aut Ecclesiastica vetat, quo minus quisque & ore & corde offerat per se caelesti Patri Filium vnigenitum, etiam accedendo propè altare & eleuando manus ad cælum; ergo laici non minus erunt sacerdotes, quam ordinati. Denique si ratio formalis sacrificij Missæ consistit in illa presentatione, sacerdos verò & proprie poterit offerre sacri-

Consequentia sententia proposita.

ficiam Missæ, etiam si ipse non consecravit, sed alius; quod est contra communem sententiam: sic enim in Parasceue fiet verum sacrificium; & quotiescunque sacerdos in aliquod templum veniens, præsentabit corde & voce hostias consecratas Deo. Omitto alia; vt quòd Dominus non legatur tale quid dixisse, *Offero tibi pater*. Omitto verba illa, *Offerimus tibi*, non esse actionem quã offerimus, sed significare illam duntaxat. Nec verum est ipsum gratiarum actione obtulisse: nam actio gratiarum præcessit hostiam; oblatio autem vel simul est, vel posterior. Deinde, nemo Doctorum est qui dicat ipsum obtulisse gratiarum actione, nisi fortè illa idem fuit quod Consecratio. Omitto item; Quòd illa presentatio, vel est actus internus tantum, & sic non erit externum sacrificium; vel aliquis externus procedens ab interno: si est externus actus, erunt aliqua verba, vel aliqua actio: atqui nulla verba iure diuino requiruntur præter verba consecrationis; nulla etiam actio requiritur præter actionem quæ fit consecratione, quæ est constitutiua Corporis Christi sub speciebus, & præter manducationem: est non ergo quaerenda vlla presentatio aut oblatio ab his distincta. Omitto Sacrificium Missæ potissimum representare sacrificium crucis, ratione consecrationis & sumptionis, vt docent Doctores; non autem ratione verbalis oblationis.

Respondeo Quarto; Non videtur probabilis illa sententia quæ per verba *Offerimus* putat essentialiter fieri sacrificium Missæ, vt patet ex dictis. Et illis verbis, nõ offerimus, sed significamus nos offerre. Nec etiam illa sententia quæ dicit illud offerri, quia in altari hostia ponitur; nisi intelligatur de illa positione, quã ponitur verbis consecrationis; hæc enim est probabilis & multorum Doctorum. Unde puto has sententias non posse tunc teneri.

4. Propositio est etiam improbabilis.

DVBIVM VII.

Quibus modis hoc Sacrificium suum fructum conferat?

Suppono, Hoc sacrificium conferre varium fructum: sed de modo difficultas est.

Respondeo igitur quatuor modis conferre. Primo, *Per modum meriti*: si tamen persona immediate offerens sit Deo grata. Ratio est; Quia est præstantissimus actus Religionis supernaturalis, ac proinde secundum se valde meritorius, modo ex parte subiecti non sit impedimentum. Et hic fructus sacrificij est personalis, nec potest alteri communicari.

Secundo, *Per modum satisfactionis*: nam omne opus meritorium est etiam satisfactorium. Hic fructus potest alteri communicari. Verum hi duo modi sunt etiam communes alijs bonis operibus, & tantum conveniunt sacrificio, quatenus est actio ministri, vel aliorum, qui actu cum ministro concurrunt: non autem, quatenus est actio Christi, vel Ecclesiæ vniuersalis; vt infra patebit.

Tertius igitur modus est, quo confert fructum *Per modum impetrationis*; idque immediate ipsi, pro quibus offertur. Ratio est, Quia *impetratio* fit per orationem, & per alia bona opera, quatenus orationi adiunguntur, vt diuinam voluntatem fletemus ad concessionem eius, quod petimus; sed, hoc

34

Per modum meriti.

35
Per modum satisfactionis.

36
Per modum impetrationis.

hoc sacrificium est opus praestantissimum, maxime idoneum ad inclinandam diuinam voluntatē, & adiungitur orationi, vt patet ex vsu Ecclesiae: ergo est impetratorium beneficiorum Dei. Quia imo, praeter ceteras causas, ob hanc etiam dicitur videtur institutum à Christo, vt per illud possemus omnia opportuna ad salutem impetrare. Cuius signum est, quod in persona sua offerri voluit, idque eum representatione sacrificij crucis, quò diuinam voluntatē magis moueremus. Hinc videmus Ecclesiam per ministrum suum in oblatione petere varia beneficia à Deo, pro viuīs & defunctis, spiritalia, & temporalia. Nam hoc sacrificium ratione suā excellentiā, & principalis offerentis, & mysticā significationis, est maxime idoneum ad impetrandum, quod petitur. Hanc autem vim habet sacrificium, non solum quatenus est actio ministri, sed etiam quatenus est actio Christi, cuius statui non repugnat, vt nobis aliquid impetret, eum etiam nunc pro nobis impellet. Item quatenus est sacrificium Ecclesiae.

Quartus modus est, quo fructum confert Ex opere operato: Quem modum admittunt passim omnes Doctores, & recentiores, qui scribunt contra haereticos.

Probatur Primò, Ex Scriptura, Matth. 26. vers. 28. *Hic est Sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* quod intelligendum esse de effusione mystica, colligitur ex Luca: ergo hoc sacrificium habet annexam promissionem remissionis peccatorum: ergo confert eam ex vi promissionis diuinae; & consequenter ex opere operato. Conferre enim ex opere operato, nihil est aliud, quàm conferre, ex vi operis externi: quæ vis nihil est aliud, quàm institutio, seu promissio diuina ipsi operi annexa.

Probatur Secundò, Ex Concilio Trident. sess. 22. cap. 1. vbi ait, *Hoc sacrificium Eucharistiae esse à Domino institutum, vt per hoc sacrificij crucis virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur:* Atqui hæc applicatio cum fiat ex vi institutionis Christi, necesse est, vt fiat ex opere operato. Confirmatur; quia si solum fieret per modum impetrationis, aut ex opere operantis, id est, deuotione offerentis, non aliter fieret, quàm per sacrificium veteris legis; ac proinde hoc sacrificium in modo applicandi fructum crucis, nihil haberet peculiare.

Probatur Tertio, Ratione. Primò, Quia hoc sacrificium habet effectum aliquem infallibilem, qui nullo modo pendet à bonitate ministri, vt habet communis Ecclesiae sensus, qui effectus non crescit ex deuotione ministri, sicut nec effectus Sacramentorum: ergo confert illum ex opere operato. Patet consequentia; nam id, quod infallibiliter confertur per opus externum, & nullo modo pendet à bonitate ministri, necessariò pendet ex vi promissionis diuinae ipsi operi annexa: quod est pendere ex opere operato. Secundò, Quia Sacramenta nouæ legis conferunt aliquem effectum ex opere operato: ergo oportuit, vt sacrificium nouæ legis simili modo aliquem effectum sibi conuenientem conferret. Patet consequentia; tum quia ratio sacrificij est dignior: tum quia id postulabat excellentia nouæ legis. Et confirmatur; quia, si sacrificia veteris legis vim habebant ad tollendas immunditias carnis legales, & quaedam irregularitates, vt colligitur ad

Hebr. 9. tur negabimus hoc sacrificium simili modo habere vim ad tollendas immunditias conscientiae? Praesertim cum sit actio Christi, vt principalis offerentis, ac proinde sit actio per se viuā, maxime idonea ad talem modum operandi.

DVBIVM VIII.

Quem fructum conferat?

Respondeo & Dico Primò, Per modum impetrationis confert auxilium praeueniens, tum sufficiens, tum efficax; ac proinde contritionem, remissionem peccati mortalis; & iustificationem; remissionem culparum venialium, & poenarum temporalium; denique varia beneficia temporalia. Est certa.

Probatur Primò, Ex vsu Ecclesiae: quia hæc omnia petuntur in oblatione huius sacrificij: sentit ergo Ecclesia hoc sacrificium ad omnia ista impetranda valere.

Probatur Secundò, Hoc sacrificium valet ad omnia, ad quæ valet oratio: nam quatenus proficiscitur ex intentione impetrandi, est realis quædam oratio, multò efficacior ad flectendū Deum, quàm oratio verbalis.

Aduertendum autem, Impetrari hæc bona, non solum quando minister est in statu gratiæ, sed etiam quando est in peccato, & nihil sua deuotione confert. Ratio est; Quia non offert hoc sacrificium, vt persona priuata, sed vt representat Ecclesiam tanquam Legatus Ecclesiae, quæ Deo est charissima: imò, vt representat ipsum Christum; nam in persona Christi offert. Itaque Deus in ipso non tam respicit qualis ipse sit fide & sanctitate, sed qualis ille, cuius ipse munere fungitur, cuiusque personam ipse sustinet & representat. Sicut Rex, ad quem mittitur Legatus à filio, vel à Republica, non respicit merita & conditiones Legati; sed eius, cuius ille personam sustinet, & muneris quod eius nomine offertur. Idem dicendum de orationibus ministrorum Ecclesiae, quas nomine Ecclesiae faciunt: habent enim vim impetrandi, etiam si minister malus sit, cum in persona Ecclesiae fiant, quæ Deo est charissima; alioqui Ecclesie non esset satis consultum, cum plurimi ex eius ministris sint peccatores. Iuuat tamen multū ad impetrandum per hoc sacrificium, Ministri sanctitas, & Ecclesiae orationes; sicut Legatus, qui priuatim Regi charissimus est, facilius impetrat: nam priuata illa amicitia, cooperatur ad animum Regis inclinandum.

Hinc sequitur Primò, Missam boni Sacerdotis, non solum ratione orationū Ecclesiae esse meliorem Missa peccatoris, sed etiam ratione ipsius oblationis, seu sacrificij, quatenus hæc est aliquo modo efficacior ad impetrandum, dum procedit ab offerente etiam priuatim amico.

Sequitur Secundò, Quò plures in Ecclesia sunt sanctitate eminentes, eò maiorem vim impetrandi habere orationes & sacrificia, quæ nomine Ecclesiae offeruntur; vt rectè docet Gabriel lectione 26. in Canonem, & Couarruias in Cap. Alma, 1. parte §. 5. nu. 6. qui citat alios.

Dices; Si sacrificium oblatum à ministro peccatore habet vim impetrandi: ergo non impetrat ex opere operantis: ergo ex opere operato: & consequenter hic modus non distinguitur ab altero, qui est ex opere operato.

ooo iij loquuntur

37
Confert
denique
suum effe-
ctum ex
opere ope-
rato.

Ex Scrip.

Ex Trid.

Ex Ratio-
ne.

Quis effe-
ctus cen-
teur ha-
beret ex
opere ope-
rato.

38
Quos fru-
ctus hoc
Sacrificij
conferat
per modum
impetra-
tionis, §

Hic En-
datur, esto
Minister
non sit in
statu gra-
tis.

Vis Ora-
tionum Ec-
clesiae.

Iuuat san-
ctitas Mi-
nistri ad
hunc effe-
ctum impe-
trandam.

39
Missam boni
sacerdotis.

Obiectio
contra
Missam
malī sacer-
dotis.

Quorundā
solutio.

Ob hoc argumentum quidam Doctores, dum loquuntur de hac impetratione, dicunt fructum dari ex opere operato. Ita Gabriel supra, & quidam alij.

Differentia
inter modū
quo Sacri-
ficium con-
fertur fru-
ctum per
modū
Impetra-
tionis, &
eum quo
ex Opere
operato.

Sed, si propriè loquamur, est magna distinctio inter hosce duos modos. Primò, Quia impetratio extendit se ad omne genus beneficiorum, & ad omne genus hominum. Certum tamen est, hoc sacrificium ex opere operato non conferre omne genus beneficiorum: non enim salutem temporalem, pacem, serenitatem, pluias, fructum abundantiam, & similia; neque Ethnicis, & non baptizatis ex opere operato fructum confert. Secundò, Quia effectus impetrationis sacrificij, non est per se infallibilis; eò quòd non nitatur certa promissione, ac proinde nec lege iustitiae, sed solum liberalitate, & misericordia Dei. Nec refert; quòd res oblata sit dignissima: dignitas enim, etsi reddat illam idoneam ad mouendum Deum; non tamen infallibiliter mouet, nisi accedat promissio. Effectus autem, qui est ex opere operato, est omnino infallibilis; quia nititur non dignitate naturali operis, aut solà misericordia, sed solà promissione diuinà operi annexa. Tertio, Effectus impetrationis debet intendi, & peti ab eo, qui impetrat; vt patet in orationibus: effectus autem qui est ex opere operato, non debet intendi per voluntatē; vt patet in Sacramentis: hoc ipso enim quo confertur Sacramentum homini disposito, etiam confertur effectus, velit nolit minister.

Ob has rationes alij dicant effectum impetrationis dari ex opere operantis, non proximi, sed remoti: vt in proposito, ob deuotionem, & sanctitatem Ecclesiae. Ita Couarruias.

Nō placet.

Sed hoc etiam non propriè dicitur: Quia, etsi neque minister, neque Ecclesia concurrat aliquo actu deuotionis ad hoc sacrificium, tamen habebit vim impetrandi. Deinde, non tantum habet vim impetrandi, quatenus offertur in persona Ecclesiae, sed etiam quatenus offertur in persona Christi, quamuis non requiratur vt Christus aliquo actu voluntatis concurrat. Itaque propriè loquendo, modus iste impetrationis neque est ex opere operantis, neque ex opere operato; sed praecise nititur dignitate hostiae, & principalis offerentis, qui est Christus; & secundario, sanctitate Ecclesiae.

Solutio ex
mente Au-
stori.

Dico Secundò, Hoc sacrificium ex opere operato, confert remissionem poenae temporalis, & auxilium gratiae praeueniens.

40
Qui sine
effectus ex
opere ope-
rato.

Prior pars est communis Doctorum. Probatur; Quia, si habet aliquā vim ex opere operato (quod supra ostensum est) maximè, habet ad remissionem poenae temporalis: sicut enim sacrificium offerri potest pro absentibus, nihilque de eo cogitantibus; ita remissio poenae temporalis fieri potest, & per se apta est fieri, sine vlla intrinseca mutatione animae, aut motu pio, per solam extrinsecam condonationem. Quare commodissimè meritum Christi per sacrificium ad hunc effectum potest applicari. Secundò, Quia ad remissionem poenae temporalis nullum erat propriè remedium institutum: ergo conuenientissimè id tributum est sacrificio. Quod insinuat Concilium Trident. sess. 22. cap. 1. vt supra dictum est.

1. Remissio
poenae tem-
poralis.

2. Auxiliū
praeueniens

Altera pars de auxilio praeueniens, non est ita certa; est tamen satis probabilis. Probatur Primò, Quia sicuti sacrificia veteris legis valebant ad

emundationem carnis ex opere operato; ita sacrificiū nouae legis debuit valere suo modo ad emundationem conscientiae ab operibus mortuis; quod fit conferendo auxilium praeueniens. Probatur Secundò, Quia id insinuat Concilium Trident. sess. 22. cap. 2. Huius sacrificij oblatione placatus Dominus, gratiam & donum poenitentiae concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Idque probat, quia vna eademque est hostia; & idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit. Vbi insinuat idem habere hanc vim, quia est actio Christi, ac proinde ex opere operato. Probatur Tertio, Ex forma consecrationis calicis, vbi promittitur remissio peccatorum per hoc sacrificium; quod non est intelligendum de immediata remissione, sed mediante dono contritionis.

Dico Tertio, Hoc sacrificium neque per modum impetrationis, neque ex opere operato confert immediatè primam gratiā iustificationis, aut gratiae augmentum in iustis, sed solum mediatè, quatenus confert ad hanc auxilium praeueniens. Est certa haec propositio. Prior pars est contra quosdam, qui dixerunt, si hoc sacrificium offeratur pro homine attrito, eum iustificari, perinde ac si susciperet Sacramentū: inter quos Catarinus.

Probatur quòd non ex opere operato. Primò, Quia neque id habet ex dignitate suae naturae, cum ne sacrificium quidem crucis id habeat (non enim sacrificium crucis immediatè, sine applicatione Sacramenti vnquam iustificat attritū); neque ex aliqua peculiari Christi promissione, cum nusquam huius promissionis deprehendantur vestigia; etsi enim ex Scriptura & Patribus confirmetur hoc sacrificium valere ad remissionem peccatorum, & iustificationem; non tamen id ita intelligendum, quasi immediatè ad hoc valeat; sed quod mediante legitima dispositione, scilicet contritione, ad quam confert auxilium: quod insinuat Concilium Trident. sess. 22. cap. 2. in verbis citatis. Vbi satis indicat, nō dimitti peccata mortifera per hoc sacrificium, nisi quatenus confert, vel impetrat donum poenitentiae, id est, auxilium praeueniens, quo concipimus contritionem.

Secundò, Concilium Trident. sess. 7. in proemio dicit, Per Sacramenta omnis vera iustitia vel incipit, vel capta augetur, vel amissa reparatur. Vbi Concilium non agnoscit aliud remedium à Christo institutum, quo detur immediatè prima iustificatio, vel reparetur amissa, quàm remedium sacramentorum. Falsum igitur est illam etiam reparari immediatè per hoc sacrificium.

Tertio, Si hoc sacrificium sic immediatè iustificat attritum, quid opus est Sacramento Poenitentiae? Non enim opus est ad eundem effectum duobus remedijs per se sufficientibus. Neque Christus duo remedia ad vnum effectum directè instituit, sed singula ad vnum tantum. Vnde cum instituerit Sacramentum Poenitentiae, tanquam necessarium ad remissionem peccati mortiferi post baptismum commissi, non est credibile quòd etiam hoc sacrificium voluerit habere hanc vim immediatè remittendi peccata.

Quarto, Quia aliqui Sacerdos attritus offerens pro seipso statim iustificaretur, quamuis sciret solum se esse attritum. Nam si hoc sacrificiū est institutum ad remissionem culpae mortiferae, non est necesse vt putet eam condonatum, sed poterit illud offerre, vt condonetur. Similiter si offerat

41
Sacrificiū
non con-
ferre imme-
diatè pri-
mam vel
secundam
gratiā.

ferat pro alio, qui solum habet attritionem, ille iustificabitur etiam si dormiat: quæ sanè sunt valde absurda.

Quintò, Sacrificium merè extrinsecè applicatur ei, pro quo offertur; nec ullam requirit illius cooperationem: ergo non potest conuenienter supplere defectum dispositionis intrinsecæ, scilicet contritionis; ac proinde non potest iustificare attritum. Secus est de Sacramentis, quæ realiter applicantur, & aliquam recipientis cooperationem requirunt. Unde, cum in se contineant pretium Sanguinis Christi, possunt supplere defectum dispositionis, quæ aliàs esset necessaria; & idè possunt immediatè gratiam conferre.

Iisdem rationibus facillè probari potest hoc sacrificium neque per modum impetrationis hanc vim habere immediatè iustificandi. Quod etiam inde confirmatur, quia non operatur per modum impetrationis, nisi ut oratio quædam: sed imprudens esset oratio, quæ peteret hominem sic iustificare; cum iste modus sit omnino extra ordinariùs, & alienus à conditione iustificationis, & nimium fouens negligentiam humanam; cum suppetat aliud modus conuenientissimus, videlicet ut inspiret ei contritionis vel saltem attritionis spiritum, & vltim Sacramenti Penitentia.

Iisdem rationibus facillè etiam probari potest Altera Pars, nempe non conferre immediatè augmentum gratiæ. Quod confirmatur: Primò, Quia Eucharistia, ut Sacramentum, est instituta ad hoc incrementum: ergo non erat opus, ut ad idem valeret, quatenus sacrificium; sed ad aliud: ut ad remissionem peccatorum, & similia. Secundò, Quia aliquoquin paruulo baptizato hoc Sacrificiũ conferret augmentum gratiæ: quod est præter mentem Ecclesiæ, quæ nunquam in hunc finem offert. Antecedens patet; quia cum sacrificium non requirat actualem dispositionem in eo, pro quo offertur, ut illi effectum suum conferat, sed sufficiat status gratiæ; nulla est ratio, cur etiam paruulis iam per baptismum iustificatis hoc augmentum non conferatur, si conferatur adultis.

Dico Quartò, Probabilis etiam est, hoc sacrificium non habere vim remittendæ culpæ venialis immediatè absque vlla hominis dispositione, sicut potest remittere reatum, seu debitum peccatæ huius peccati. Ita Dominicus Soto d. 11. q. 2. art. 5.

Probatur prior Pars: Primò, Quia peccatum veniale committitur nostra libertate: ergo conueniens ratio prouidentia diuinæ postulat, ut nõ mera extrinsecæ condonatione, sed interueniente aliquo actu libero remittatur. Secundò, Quia culpa venialis maculam quandam infert animæ, qua eius nitor non nihil obscuratur: ergo sine aliqua intrinsecæ animi mutatione, quæ huic maculæ aliquo modo repugnat, non tollitur.

Altera Pars patet ex dictis supra num. 39. Vbi aduerte; non solum ex opere operato, sed etiam per modum impetrationis, per hoc sacrificium peccatæ reatum tolli. Cum enim hæc condonatio non postulet vllam mutationem animæ, sed per solam extrinsecam condonationem possit fieri, restet etiam possumus à Deo petere, ut immediatè condonet: ut patet, quando oramus pro fidelibus defunctis: Si Dicat; tunc non peti, ut Deus immediatè condonet peccatæ; sed applicari ipsis hanc orationem, quatenus est opus satisfactorium, &

sic interuenite solutionem; quia Deus non condonat peccatam, nisi interuentu alicuius satisfactionis. Respondeo, id non rectè dici: nam Sancti in cælo orant pro defunctis, ut constat ex Collecta Ecclesiæ, *Deus venia largitor* &c. Et tamen oratio illorum non est satisfactoria, sed solum impetratoria: ergo non applicatur illis tunc satisfactio illius orationis, & quasi solutio quædam, sed petitur immediata condonatio. Confirmatur: quia neque est illa mens orantis; neque conuenienter potest fieri applicatio satisfactionis, quæ est in oratione per ipsammet orationem: nam opus applicandum supponi debet actui applicationis, & ab ea distingui. Ut interim omittam valde exiguam esse satisfactionem in breui oratiuncula. Fateor quidem, Deum non condonare peccatam, nisi alicuius satisfactionis, seu solutionis interuentu; hoc enim summa illa iustitia postulat: sufficit tamen satisfactio Christi in proposito, quæ immediatè potest applicari ad hunc effectum per orationem, ac proinde per sacrificium.

Pro hoc & sequentibus Dubijs, Vide lib. 12. de Perfectionibus Diuinis c. 14. ubi tractatur ad quid datum sit nobis hoc sacrificium, & quantam vim habeat.

DVBIVM IX.

Quibus conferri Sacrificium suos fructus?

Notandum est, eos, quibus prodest hoc sacrificium, esse vel offerentes, vel illos pro quibus offertur. Offerentes sunt; Primò, Sacerdos. Secundò, Qui aliquo actu cooperantur, ut ministri, assistentes, & conferentes eadem sacramentum. Tertio, Qui nullo modo cooperantur actu, sed solum remotè dicuntur offerre, quatenus sunt membra Ecclesiæ. Nunc

Respondeo & Dico Primò, Ipsi Sacerdoti offerenti fructum conferri ex opere operato, & per modum impetrationis; idque sub duplici ratione: Primò, quatenus est minister publicus offerens in persona Christi; & hunc fructum conferri illi nõ pro se determinatè, sed pro ijs quibus ipse vult applicare sacrificium. Colligitur hoc ex D. Tho. supra q. 79. art. 5. & 7. estque ferè communis sententia. Ratio est, quia effectus, qui huic sacrificio respondet, maximè sequitur ex eo, quatenus est actio ministri publici offerentis in persona Christi. Hic tamen fructus non ita datur Sacerdoti, ut ipsius maneat; sed ut sit in eius potestate applicare eum sibi, vel alteri: non enim est propter Sacerdotem, sed propter eum, pro quo offertur sacrificium. Offeritur autem pro eo, pro quo Sacerdos voluerit. Itaque quod hic fructus huic, vel illi conferatur, pendet ex intentione, & applicatione Sacerdotis. Confirmatur; nam sacrificium per se non determinat personam, cui fructus est conferendus. (Fit enim immediatè Deo, nec postulat ut pro aliquo offeratur, seu ut alicui applicetur. Secus est de Sacramento quod ex natura sua postulat alicui certæ personæ applicari, cum consistat in receptione, ordineturque ad hominis sanctificationem.) Quare hæc determinatio reliquitur ipsi ministro.

Secundò, Quatenus minister est etiam persona quædam priuata suam habens deuotionem, qua ad hoc sacrificium concurrat: non enim est peioris conditionis, quam alij priuati offerentes. Et hic fructus recipitur in ipso Sacerdote: nam datur ipsi pro se, tanquam personæ priuata: vnde

Defunctis pœna immediatè remittitur.

Qui censentur offerre hoc sacrificiũ.

Quis fructus datur Sacerdoti ut est persona publica.

Potest huic fructum alteri applicare.

Quis fructus ei datur, ut est persona priuata.

Cur minus hoc sacrificium immediatè iustificet, quàm sacramenta quædam.

Non conferre immediatè augmentum gratiæ.

42 Nec immediatè remittit culpam venialem, sed reatum peccatæ.

Restat per se ex opere operato, & per modum impetrationis tollitur hoc sacrificio.

etiam requirit statum gratiae, estque maior vel minor pro maiore, vel minore dispositione; secus est de fructu priore, qui respondet sacrificio, ut est actio ministri publici: hic enim non requirit statum gratiae in ministro, ut supra dictum est, cum non detur ipsi pro se, sed pro Ecclesia: neque est maior vel minor, ob maiorem, vel minorem ministri sanctitatem (loquimur enim de fructu, qui est ex opere operato) sicut nec fructus Sacramentorum maior est vel minor ob ministri sanctitatem. Vide Diuum Thomam quaest. 82. art. 6.

Non potest hunc fructum alteri applicare.

Notandum autem: Valde probabile esse, fructum eum quem sacerdos accipit, ut persona priuata, ex opere operato, non posse alijs applicari: sicut nec remissio poenae temporalis, qua conferitur per Baptismum, aut per satisfactionem Sacramentalem, aut per indulgentias, alijs applicari potest, nisi id expresse concedatur quoad Indulgentias. Haec enim non ita habemus in potestate, ut possimus nos illorum fructu priuare, ut illum in alium conferamus, sicut in potestate habemus opera nostra satisfactoria. Ratio est; quia id quod ex opere operato vim habet, non tam est opus nostrum, quam Christi: unde non est in nostra potestate impedire ne in nobis fructum habeat, quando nobis applicatur.

43 Proxime offerenti- bus suis fructus responder.

Dico Secundò, Alijs offerentibus, qui peculiari aliquo modo concurrunt actu vel virtute ad hoc sacrificium, valde probabile est dari aliquem fructum ex opere operato, pro modo concursus, & deuotionis cuiusque: verbi gratia, ministrantibus, assistentibus, & procurantibus sacrificium. Ita Caietanus tom. 2. Opusculorum. Tractatu 3. qu. 2. & alij passim. Ratio est, quia ceteris paribus maximè participes esse debent fructus sacrificij, qui actu aliquo ad illud cooperantur. Non enim videtur consentaneum, ut is, qui actu Missae sacrificio assistit, non plus accipiat, quam is, qui cum pari deuotione procul abest: nam ad sacrificium externum actu externo cooperatur. Quod confirmatur ex verbis Canonis, *Memento Domine omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.*

46 Remotè offerenti- bus non responder fructus ex opere operato.

Dico Tertiò, Qui nullo actu concurrunt ad hoc sacrificium, sed solum remotè dicuntur offerre, quatenus sunt membra Ecclesiae, quae per ministros suos offert, ijs, ratione huius modi offerendi non prouenit aliquis fructus ex opere operato. Probatur; Quia non est credibile, omnibus membris Ecclesiae, ratione cuiusque, sacrificij quod offertur in Ecclesia, dari aliquod auxilium speciale, vel condonari aliquid poenae temporalis: tum quia nulla ratio id suadet, nec auctoritas insinuat; tum quia unicuique quotidie aliquot millia gratiarum praeuenientium dari deberent, & infinitae propè partes debiti temporalis detrahi: quò fieret ut vix iusti haberent aliquid debiti temporalis poenae. Ratio est: quia effectus ex opere operato non datur, nisi ijs, quibus ipsum opus peculiariter applicatur; idque vel mediante actione propria, vel aliena; ut patet in Sacramentis, & in hoc sacrificio, dum per ministrum alicui applicatur. Cur enim conferatur effectus illis, quibus causa nullo modo applicatur? Illa autem habitudo, qua omnia Ecclesiae membra comparantur ad hoc sacrificium, tanquam offerentes in habitu, est valde

extrinseca, & remota; nec sufficit ad actualem applicationem.

Dices: Saltem omnes isti accipiunt aliquem fructum ex singulis sacrificijs per modum impetrationis.

Respondeo; Neque id esse necessarium; ut rectè Gabriel lectione 27. in Canonem. Etsi enim hoc sacrificium nomine totius Ecclesiae offeratur, non tamen necesse est, ut singulis Ecclesiae membris aliquid in particulari detur. Imò etiàsi oratur pro omnibus orthodoxis & Catholicae fidei cultoribus, non est necesse singulis aliquid dari: tum quia impetratio non est infallibilis; tum quia sufficit aliquid commune dari, quod ad omnes aliquo modo pertingat: ut est tranquillitas Ecclesiae, protectio fidei, auersio haereseon, & etiam calamitatum temporalium. Nunc agendum

Imò nec per modum impetrationis.

DE IIS RRO QUIBUS HOC SACRIFICIUM OFFERTUR.

Notandum est, Esse sex vel septem hominum genera, de quibus potest dubitari: nempe Dam-nati, Beati, Fideles defuncti, qui in purgatorio sunt; Fideles viui, qui sunt Ecclesiae membra; P-ccisii ab Ecclesia; & Infideles, qui numquam fuerunt in Ecclesia.

47

Dico Primò; Non prodest vilo modo damnatis. Est certa, & communis. Ratio est; quia non sunt capaces fructus sacrificij crucis, qui per hoc sacrificium applicatur. Confirmatur; quia nec potentia, nec actu sunt amplius membra Ecclesiae: atqui hoc sacrificium est sacrificium Ecclesiae, solumque valet pro ijs, qui aliquo modo ad Ecclesiam pertinent. Nec obstat, quod Diuus Augustinus c. 110. Enchiridij dicat, *Quibusdam valere hoc sacrificium, ut ipsis plena fiat remissio, alijs ut tolerabilior sit damnatio: loquitur enim de ijs, qui sunt in purgatorio: Damnationem vocat supplicium, ad quod damnati sunt. Nam Augustinus eodem cap. expresse docet, ijs qui in aeternum damnati sunt, non prodesse. Idem lib. 1. de Anima, & eius origine cap. 9. & 11. docet sacrificium hoc non posse offerri pro paruulis defunctis ante baptismum, quia perierunt. Idem docet Innocentius III. Capitulo Cum Martha de Celebratione Missarum.*

Non prodest damnatis.

Dico Secundò, Beatis cum Christo regnantibus aliquo modo prodest hoc sacrificium. Primò, Ad quoddam gaudium accidentarium. Secundò, Ad gloriam quandam extrinsecam in Ecclesia: gaudent enim Dei honore, nostroque profectu: & illis honorificum est ab hominibus in tanto mysterio commemorari, tanquam nostros Patronos, & hoc sacrificium in eorum memoriam & honorem Deo offerri. Nam offertur sacrificium Deo, tum in gratiarum actionem pro beneficijs in Sanctos collatis, quae etiam in nos redundant; tum ad petendam gratiam, ut eos possimus imitari; tum ut velit eos esse nostros Patronos, & apud ipsum intercessores, ut optime docet Concilium Trid. sess. 22. c. 2. Vide etiam Innocentium III. Cap. Cum Martha de Celebratione Missarum.

48 Prodest Beatis.

Dico Tertiò, Fidelibus defunctis, qui in Purgatorio expiantur, etiam plurimum prodest ad poenarum mitigationem, & solutionem. Est fidentendum, ut patet ex Conc. Trid. sess. 22. can. 3.

Probatur Primò: 2. Machabæorum 12. vbi Iudas Machabæus offerri iussit sacrificia pro coe-
fis in bello; & Scriptura probat hoc factum:

49 Prodest plurimum in Purgatorio extantibus.

SANTA

sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.

Probatur Secundò; Quia in omnibus Liturgijs oratur pro defunctis. Ex quo intelligimus Ecclesiam semper in sacrificio Missæ pro defunctis orasse, esseque traditionem Apostolicam: ut rectè Chrysostomus Hom. 69. ad Populum. Idè docent plurima Concilia, & omnes Patres. Imo est antiqua hæresis Aerei non esse pro defunctis offerendum sacrificium, ut testatur Epiphanius in Anacephalocosi. Et D. Augustinus hæresi 53. Ratio est; quia sacrificium est bonum commune totius Ecclesiæ; & à ministro publico offeratur: atqui bonum commune debet esse tale, ut possit distribui & prodesse singulis membris, maximè si indigeant: ergo cum fideles in purgatorio sint vera & viva membra Ecclesiæ, utpote ei copulata fide, spe, & charitate; & maximè opus habeant auxilio alieno, cum seipsos iuuare nequeant, oportet ut fructus huius sacrificij etiam ad illos pertineat.

50 Sed difficultas est, quomodo illis prosit: Per modum impetrationis, an ex opere operato?

Ex opere operato, & per modum impetrationis.

Respondeo utroque modo. De impetratione nemo Catholicus potest dubitare. De modo ex opere operato, quidam videntur negare; ut Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 13. ad 9. & Dominicus Soto d. 13. q. 2. art. 1. Dicunt enim hoc sacrificium non habere infallibilem effectum in illis; sed, si Deo ita visum fuerit. Vnde sequitur non prodesse illis ex opere operato, cum hic fructus omnino sit infallibilis in eo, qui est capax, & non ponit obicem.

Sed contrarium est probabilius: quod tenet Ruardus art. 16. Petrus Soto lect. 7. de Eucharistia, & ipse D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 3. ad 3.

Probatur Primò; Quia in forma sacerdotij sine distinctione dicitur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis in nomine Domini*: ergo eodem modo offertur, & prodest. Item Concilium Trid. sess. 22. cap. 1. eodem modo loquitur, cum ait; *offerri pro viuis & defunctis*. Secundò, Quia animæ illæ adhuc sunt partim in via, & possunt ab Ecclesia iuari: & aliàs hoc sacrificium ex se satis habet dignitatis, ut conueniens fuerit hanc vim ei à Christo tribui: & in modo applicandi nulla est repugnantia: (non enim applicari debet ipsi animæ per corpus, sicut Sacramentum; neque ad infusionem gratiæ, vel eius augmenti; sed solum per extrinsecam ordinationem, sicut oratio; idque ad effectum *mere extrinsecum*, qui est extrinseca condonatio:) ergo nulla est ratio, cur hæc virtus ei non sit concedenda.

51 Prodest plurimum viuis Fidelibus, pro quibus offertur.

An Catechumenis.

Dico Quartò, Prodest etiam plurimum fidelibus viuis, pro quibus offertur: nam pro his maximè est institutum. Et patet ex Canone *Pro omnibus orthodoxis, & Ecclesiæ Apostolicæ cultoribus*. Qui tamen sunt in statu peccati mortiferi, ijs non prodest ad satisfactionem, sed solum ad impetrationem auxilij præuenientis, & protectionis ne in peccatis moriantur. Catechumenis quoque, etiã si in gratia sint, non prodest ex opere operato. Ratio est; quia Baptismus est ianua ad cætera Sacramenta, & ad omnem fructum, qui modo Sacramentali confertur. Prodest tamen per modum impetrationis; vnde etiam pro illis defunctis offerri potest, si non constet in peccato mortifero obiisse.

Dico Quintò, Prodest etiam præcis; ut hæreticis, schismaticis, & excommunicatis, quando pro illis directè, vel indirectè offertur. Vbi

52 An præcis ab Ecclesia.

Notandum est; Non licere quidem pro huiusmodi sacrificium offerre in persona ministri publici; hoc enim prohibitum est ab Ecclesia; ut patet Cap. *A nobis*, 2. de Sententia Excommunicationis: Si tamen quis offerat, fructum percipiet. Et ratio est, quia Ecclesia nõ potest suo præcepto tollere vim sacrificij, quam habet ex opere operato; sicut nec vim Sacramentorum. Vnde, etiam si contra præceptum Ecclesiæ alicui applicetur, vim habebit. Pari modo non potest tollere vim impetrandi, quam habet quatenus offertur in persona Christi, seu quatenus offertur à ministro publico Christum representante. Nam hæc vis nullo modo pendet ab Ecclesia, sed ab ipsa præstantia sacrificij, & principali offerente. Grauius tamen peccabit minister, sciens & prudens contra mandatum Ecclesiæ faciens.

Quomodo illicitum sit pro illis sacrificare.

Aduerte tamen, Duobus modis licitè posse pro his sacrificium offerri: Primò indirectè, agendo tamen personam publicam; ut quando sacerdos offert sacrificium, & orat pro Ecclesiæ propagatione, & vnione; pro hæresi non extirpatione, fidei exaltatione: nam sic indirectè orat pro hæreticorum & schismaticorum conuersione. Secundò, Directè, sed ut persona priuata, orando, & representando Deo hoc sacrificium pro huius vel illius hæretici conuersione, vel in genere pro conuersione hæreticorum. Ratio est; quia hoc nullo iure est prohibitum, & per se est valdè pium: vnde non est dubitandum, quin in *Memento* liceat pro illis orare.

Et quibus id modis liceat.

Dico Sextò, Pro infidelibus qui nunquam fuerunt in Ecclesia, ut sunt Idololatæ, Turcæ, Iudæi, licet offerre sacrificium; & illis prodest per modum impetrationis. Patet; quia Apostolus 1. ad Corinth. 2. iubet orari pro Regibus & Principibus in sacrificio, qui tamen erant ethnici. Et Tertull. lib. ad Scapulam, *Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris*. Idem quoque fiebat in veteri testamento; offerebant enim Iudæi sacrificium pro Dario, pro Spartiatis, & pro Heliodoro. Neque Ecclesia hoc vnquam prohibuit.

53 An prodest infidelibus.

Dico Septimò, Hoc tamen sacrificium non prodest ex opere operato, nisi illis, quibus minister intendit applicare; quamuis possit prodesse per modum impetrationis.

54 Non prodest ex opere operato nisi illis, quibus Minister intendit applicare.

Prior pars probatur; Quia sacrificium, ex se dum fit, non determinat personam, cui fructus est conferendus; quia tantum tendit ad honorandum Deum, sicut laus: ergo hæc determinatio iure diuino naturali relicta est arbitrio sacerdotis offerentis, cui sicut data est potestas offerendi sacrificij, ita & applicandi: nemo enim commodius potest applicare aliquid, quàm is, qui illud habet in sua potestate.

Dices, Ecclesia seu Prælati, qui sunt Superiores, videntur validè posse applicare sacrificia suorum subditorum. Quod confirmatur; Nam Ecclesia præscribit orationes, quibus oretur pro Pontifice, Episcopo, Rege, pro Orthodoxis viuis & defunctis. Quòd si Sacerdos inferior contra voluntatem Superioris applicet sacrificium, Deo non erit accepta talis applicatio.

Respondeo, Aliud est loqui de orationibus sacrificio annexis, aliud de ipsius sacrificij substantia: Oratio.

An possit
Ecclesia fa-
cere, ut alte-
ri proficiat ex
opere ope-
rato, quam
cui sacer-
dos intendit
applicare.

Oraciones enim potuit Ecclesia præscribere pro certis rebus, & personis; quas si Sacerdos ut Ecclesiæ minister recitet, modò non sit præcisus, habebunt virtù impetrandi, etiamsi ipse id non intendat. Ratio est; quia Deus respicit in illis, non Sacerdotis deuotionem & intentionem, sed Ecclesiæ, cuius personam gerit dum orat: ergo cum tanquam minister Ecclesiæ orat pro certis personis, illis proderit per modum impetrationis. Sed sacrificium immediatè pendet ex institutione diuina, sicut & Sacramenta. Vnde, sicut Sacramenta vim habent in eo, cui per ministrum applicantur, quidquid Ecclesiæ prohibeat, eò quòd ipse operetur potestate à Christo accepta: ita sacrificium vim habet ex opere operato in illis duntaxat, quibus per proximum ministrum applicatur, qui personam Christi gerit.

Nec refert, quòd hæc applicatio sit contra obedientiam, vel etiam contra iustitiam. Etsi enim Deus non acceptet illum in meritum, seu ut est actio priuata personæ: acceptat tamen quatenus est actio ministri personæ ipsius gerentis: sic enim eadem est applicatio, & intentio Christi & ministri. Confirmatur: Quia hæc potestas applicandi conuenit Sacerdoti ex vi characteris; ut patet ex verbis formæ, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro uiuis & defunctis in nomine Domini*: ergo non potest per Ecclesiam auferri, impediri, aut limitari: ut patet in simili de potestate applicandi alia Sacramenta.

Pro quibus
teneatur
sacerdos
orare, vel
applicare
hoc sacrifi-
cium.

His addè, re ipsa nullum extare præceptum, quo sacerdos obligetur huic vel illi, vel etiam toti Ecclesiæ applicare sacrificium. Solum obligatur orare pro vniuersali Ecclesia, pro Papa, Antistite, Rege, adstantibus, orthodoxis omnibus in genere, denique pro defunctis: & ut summu, non obligatur pro his offerre sacrificium, nisi ut habet vim per modum impetrationis. Vnde potest illud applicare alteri, quatenus habet vim ex opere operato.

Si sacerdos
nulli appli-
cet, cui
proderit ex
opere ope-
rato.

Dices, Ergo si sacerdos obliuiscatur applicare alicui sacrificium, nullus inde proueniet fructus ex opere operato.

Respondeo, Quidam dicunt, posse postea applicari. Sed hoc parum est credibile: Quia, sicut Sacramentum consistens in actione, solum potest applicari, dum sit à ministro; tunc enim, non alias est in eius potestate: ita etiam sacrificium tantum potest applicari, dum sit; tunc enim tantummodo est in potestate ministri. Confirmatur; Quia effectus, qui datur ex opere operato, non potest suspendi arbitrio ministri, sed statim datur causà posita. Vnde aliter dicendum: Quando alteri nõ applicat, censetur implicite applicare sibi; & sic fructum ex opere operato habet sacrificium in sacerdote. Dices; Quid si non cupiat sibi applicare, vel si non habeat debitum pœnæ temporalis?

Respondeo, Tunc non habebit effectum ex opere operato, scilicet remissionis pœnarum; sicuti effectum eum non habet cum Sacerdos illum applicat ei qui non est capax. Manet autem tunc satisfactio illa, quam sacrificium debebat conferre, in immenso thesauro satisfactionum Christi, nec quidquam tunc inde depromitur satisfactionis. Non tamen illi thesauro tunc aliquid noui accedit, ut Soto inuauat; sed antiqua satisfactio non applicatur. Sicut etiam, cum Sacramenti vis irrita redditur per indispositionem recipientis, nihil

noui accedit thesauro, sed vetus meritum Christi non applicatur efficaciter, & cum effectum: quantum nonnulla sit differentia.

Altera Pars, scilicet posse sacrificium prodesse per modum impetrationis sine applicatione Sacerdotis, patet ex dictis: nam iunguntur illi orationes Ecclesiæ pro varijs rebus & personis, quæ per hoc sacrificium sunt exaudibiles apud Deum.

DVBIVM X.

Vtrum hoc sacrificium habeat effectum aliquo modo infinitum?

Missis opinionibus Doctorum, quos recenset Petrus Nauarra. lib. 2. de Restitutione circa num. 360.

Dico Primò, Hoc sacrificium secundum se est infinita dignitatis in genere sacrificij, sic ut prestantius cogitari non possit: ac proinde per se est infiniti valoris ad impetrandum. Est communis Doctorum. Vide D. Thom. supra q. 79. art. 5. & ibidem Caietanum.

Prior Pars Probat; Quia res oblata est infinita dignitatis, cum totus Christus offeratur; & etiam primarius offerens, qui etiam est ipse Christus: ergo ipse actus sacrificandi censetur infinita dignitatis. Probat; Quia ex his duobus dignitas sacrificij pensatur.

Dices, Proximus offerens est Sacerdos, qui est finitè dignitatis.

Respondeo; Hoc non refert. Nam Sacerdos nõ offert hoc sacrificium, ut homo priuatus, sed ut gerens personam Christi, atque ad eò quatenus ipse mystice seu representatiue est Christus. Cuius signum est, tum quia loquitur ut Christus, *Hoc est Corpus meum*: tum quia, si Christus esset in statu merendi, & satisfaciendi, & ita offerret per ministrum, sicut modò offert, infinitè mereretur, & satisfaceret, perinde ac si per seipsum offerret: Sicut tantummodo meretur Dominus & satisfactio per famulum conferens eleemosynam, & per legatum exhibens honorem & obedientiam, quantum si per seipsum. Itaque sacrificium hoc à Christo suam habet æstimationem, non minus quam illud, quod ipse Christus in cœna obtulit: hoc enim est illi par in ratione sacrificij, & in dignitate impetrandi. Quod confirmatur; Quia ipsa transubstantiatio fit virtute Christi, quatenus ex vi institutionis, virtus diuina Christi ad hoc est applicata vsque ad finem sæculi; & etiam quatenus actu voluntas Christi ad singula sacrificia concurrat, ut cui omnia sint præsentia, eaque Patri actu offert: sicuti si Rex per legatum exhibens honorem Pontifici, posset ipsemet esse præsens, & Pontifici in legato honorem deferre.

Vnde Patet, Triplici ratione Christum dici Principalem offerentem: Primò, Quia Sacerdos offert hoc sacrificium, ut representat personam Christi, seu ut ipse est mystice Christus: sicuti legatus Regis defert honorem Pontifici, ut representat suum Principem; & Angelus tradidit legem, ut representans Deum, ut patet Actorum 7.

Secundò, Quatenus ipse vim tribuit verbis sacerdotis, & sua virtute diuina concurrat, idque ex vi primæ institutionis; seu illius voluntatis, quæ primò instituit hoc sacrificium: ut colligitur ex Chrysostomo Hom. De prodicione Iude circa medium.

55

Hoc sacrifi-
cium se-
condum se
est infinita
dignitatis.

56
Tribus ex
titulis dici-
tur Chris-
tus esse
principalis
offerens.

medium. Et hi duo modi in rigore sufficiunt, vt Christus dicatur *principalis offerens*.

Tertio, Quatenus actu concurrat per intellectum, & voluntatem humanam ad singula sacrificia suorum ministrorum, ijs praesidens, & superintendens, tanquam summus Sacerdos, & actu interno ea offerens Patri in memoriae suae Passionis. Probatur hic modus; Quia sic magis proprie dicitur offerre; & alius hic modus est illi facillimus, cum hoc sacrificium non minus sit ipsi praesens quoad mentem seu intellectum, quam si ipse esset in Altari; ergo non videtur dubitandum, quin sic offerat. Confirmatur Primò, A simili: Quia, si Rex, dum per Legatum defert honore Pontifici, posset esse mente praesens Legato & Pontifici, per se etiam concurreret, saltem mente & voluntate illum honorem deferendo; hic enim modus honorandi est perfectior: ergo, cum Christus possit actu concurrere, reuera facit. Confirmatur Secundo, Quia *Christus est Sacerdos in aeternum*, id est, vsque ad finem saeculi: ergo decet, vt ipse etiam actu cooperetur ad sacrificium. Patet consequentia; quia munus sacerdotij esset in ipso otiosum, solumque extrinseca denominatione diceretur offerens. Dices, Non esse conueniens, vt per se concurrat. Contra: Quia Christus secundum naturam humanam manet diuinitate inferior; vnde oportet vt eam colat actu laetiae: cur non etiam actu sacrificij, qui est perfectissimus actus laetiae? praesertim, cum opus materiale sacrificij non debeat ab ipso fieri, sed possit fieri per ministrum, ipso duntaxat spiritualiter cooperante. Confirmatur Tertio, Quia id quoque insinuant Patres: Chrysostomus homil. 60. ad Populum: *Non sunt humanae virtutis opera proposita: qui tunc ipsa fecit in illa cena, idem nunc quoque ea facit: nos ministrorum tenemus locum: qui vere sanctificat ea, & immutat, ipse est.* Et infra: *Cum videris Sacerdotem offerentem, ne Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.* D. August. Tract. 5. in Ioannem fusè docet Christum in omni baptismo baptizare: idem ergo, & potiori iure dicendum est de hoc sacrificio. Vide etiam Cyprianum epist. 63. & Concilium Trident. sess. 22. cap. 2.

Dico Secundo; Reipsa tamen non potest alium effectum infinitum impetrare. Probatur Primò; quia talis effectus est impossibilis inter dona creata. Secundo; quia impetratio non solum pendet ex dignitate oblationis, sed etiam ex intentione oblationeque offerentis, & ordinatione Dei concedentis: atqui offerens non potest prudenter petere fructum infinitum: Deus quoque non statuit concedere, nisi intra mensuram ab ipso definitam. Vnde etiam Christi operationes, etsi essent infinite meritoriae, tamen reipsa nullum effectum infinitum meruerunt. Tertio; quia sacrificium non est reipsa impetratorium, nisi quatenus annexum est orationi, seu petitioni, saltem internae; vt supra dictum est: atqui non quaeuis oratio valet ad quidvis impetrandum; sed debet aliquo modo esse proportionata rei, quae petitur: maiori enim conatu, seruiore, & constantia petenda est res magna, quam parua; difficilis, quam facilis; vt rectè Scotus Quodlib. 20. & Gabriel lectione 27. idque propterea; nam alioqui redderetur segnes, & tepidi, & parui diuina dona estimaremus, si tam facilis esset impetratio: ergo, cum oratio non sit semper cuius bono obtinendo pro-

portionata, non potest semper reipsa impetrare, etiam si sacrificio sit comitata.

Dico Tertio, Sacrificium hoc oblatum pro multis à ministro, reipsa non confert tantum singulis neque per modum impetrationis, neque ex opere operato, quantum si pro vno tantum oblatum esset.

Prior Pars Probatur: Quia etsi in se sit infinite dignitatis, tamen non applicatur nisi mediante oratione; atqui vna oratio, quae applicatur multis, non est ita idonea, & proportionata multis beneficijs impetrandis, atque vni vel paucis. Vnde, sicut pro vna re ardua, verbi gratia, pro impetranda conversione magni peccatoris, ordinariè oportet plures orationes fundere, & plura sacrificia offerre, quam pro conuersione mediocris, iuxta illud 1. Ioannis 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis, &c.* ita pro beneficio aliquo multis impetrando, oportet ordinariè plures orationes & sacrificia offerre, quam si paucis, vel vni sit impetrandum: nam longè maius est tale beneficium conferri multis, quam paucis; vt rectè Gabriel lect. 27. Vnde quod quidam dicunt, hoc sacrificium oblatum pro multis speciatim, tantum valere singulis ad impetrandum, quantum si pro singulis duntaxat oblatum fuisset; non videtur verum, nisi pro multis multiplicentur etiam affectus orantis & orationes. Quod si affectus quoque, & saltem internae petitiones multiplicentur, sic omnino verum est. Et ita intelligi possunt illi Doctores. Vnde multitudo eorum, pro quibus oratur in Memento, non dimittit quidquam in singulis effectum impetrationis; quia multiplicantur affectus, & petitiones offerentis.

Alterna Pars; Quod etiam ex opere operato non valeat tantum multis, quam paucis: est ferè communis sententia Doctorum, vt inquit Gabriel.

Probatur Primò, Quia alioqui Sacerdos inpienter faceret, si aliquibus in particulari hoc sacrificium applicaret: semper enim offerendum esset pro omnibus iustis, cum non minus profuturum sit vnicuique, quam si pro eo solo oblatum fuisset: atqui hoc est contra vsum in Ecclesia receptum.

Secundo, Quia alioqui Sacerdos pro vno sacrificio posset centum stipendia (sustentationis, non estimationis rei) accipere; & centum obligationibus contractis cum diuersis, vno sacrificio satisfacere.

Hinc sequitur, Sacerdotem non posse propter vnum sacrificium accipere, nisi vnum stipendium sustentationis: nam alioqui iniuriam faciet ei, cum quo prius conuenit: hic enim, saltem implicitè, cupit totum fructum sacrificij, praesertim eum qui est ex opere operato, sibi applicari.

Aduerte tamen, Si hoc stipendium sit valde paruum & insufficiens ad victum diurnum, posse secundum, & fortè etiam tertium accipi. Ita Dominicus Soto dist. 13. quaest. 2. art. 1. & Melchior Canus lib. 12. De locis cap. 13. & quidam alij Doctores eiusdem ordinis: quorum sententia, saltem sic limitata, satis est probabilis.

Petes, Verum, si illi, pro quibus offert, sint inaequales in gratia, vel actuali deuotione, singuli recipiant effectum, praesertim remissionis poenae, secundum mensuram dispositionis suae, sicut in Sacramenti contingit?

PPP Respondeo

58 Oblatum pro multis non tantum dat singulis, quantum si pro vno tantum oblatum.

59 Non licet nisi vnum stipendium propter vnum sacrificium accipere.

60 An, si pro pluribus applicentur, etiam in eis sit inaequalis fructus extra inaequalem eorum dispositionem.

Quomodo Christus actu concurrat in omni sacrificio.

57 Hoc sacrificium nullum effectum infinitum impetrat.

Respondeo: Ita videtur sentire D. Thomas q. 79. art. 5. Petrus Nauarra, & quidam alij. Sed contrarium videtur verius: quod tenet Durandus d. 43. q. 3. & colligitur ex D. Thoma eadem dist. q. 2. art. 4. ubi dicit, suffragium, quod prodest ex applicatione alterius, pendere ex intentione applicantis. Ratio est: Quia effectus sacrificij, qui datur alteri, pro quo fit oblatio, totus pendet ex intentione Sacerdotis applicantis: gratia autem, quae in ipso requiritur cui applicatur sacrificium, solum requiritur ut dispositio tollens impedimentum. Secus est de effectibus Sacramentorum: quia non pendunt ex intentione ministrum, sed ex ipsa substantia Sacramenti, quae veluti naturaliter operatur iuxta dispositionem suscipientis. Confirmatur: Quia satisfactio propria applicata alteri, non prodest ei plus vel minus iuxta eius dispositionem, sed iuxta voluntatem applicantis: ergo similiter hic. Ratio à priori est, Quia hic fructus sacrificij non confertur per modum naturalis efficientiae sicut ignis calefacit; neque mediante actione recipientis, sicut Sacramenta effectum conferunt: sed per modum donationis moralis, quae tota pendet, & secundum suam substantiam, & quantitatem, ab intentione donantis.

61
Oblatum pro multis simul offerentibus, tantum prodest singulis, quantum si pro uno solo.

Dico Quarto, Si multi offerentes cooperentur Sacerdoti ad huius sacrificij oblationem, singulis, quatenus offerentes sunt, tantum prodest ex opere operato, & per modum impetrationis, quantum si soli cum Sacerdote obtulissent. Hoc modo potest fructus huius sacrificij dici infinitus extensus, non actu, sed potentia; quatenus plures, & plures in infinitum possunt suo modo actu concurrere, & fructum percipere. Est communis sententia Doctorum. Et ita fortè intelligendus est Caietanus qu. 79. art. 5. & tom. 2. Opusculo 3. qu. 2. & alij eiusdem ordinis, qui docent hoc sacrificium oblatum pro multis, prodesse singulis secundum ipsorum deuotionem.

Probatum Primò, Quia alioqui longè fatius esset audire Missam priuatam, id est, cui pauci interfunt, quam publicam, cui multi. Secundò, Quando plures sunt offerentes, plures quoque sunt actiones, quibus cooperantur ad sacrificandum; quae actiones sunt veluti diuersae applicationes, quibus ipsum sacrificium singulis applicatur, & singuli ipsius sunt participes: ergo ex parte applicationis huius non minuitur fructus: nam singulis tam perfecte applicatur, quam si soli essent. Neque etiam minuitur ex parte sacrificij, aut rei oblatæ; quia vtrumque infinite dignitatis est: ergo cum sit eadem dispositio in singulis, (ut supponimus) quando multi sunt & quando pauci, eundem effectum singulis confert quando multi sunt, quem contulisset si pauci fuissent. Confirmatur à simili: Si eadem hostia à pluribus sumi posset, tantum conferret singulis, quantum si singuli soli fuissent: nam integrè, & independentè à ceteris, singulis esset applicata: ergo idem sacrificium, per diuersos actus offerentium applicatum, ipsis offerentibus tantum conferret, quantum si soli essent.

62
Omnium sacrificiorum perfectio non eminenter continetur.

Ex dictis constat, Hoc sacrificium habere in se eminenter omnem perfectionem sacrificij, esseque non solum Honorarium, seu Latreuticum, quod Holocaustum dicitur, sed etiam Propitiatorium, quod vocatur Sacrificium pro peccato, & Eucharisticum, & Impetratorium; quorum vtrumque dicitur Hostia pacifica. Et hoc sensu docent Patres, Omnes differantia,

seu species hostiarum veterum vna Eucharistia oblatione contineri. De quo vide Augustinum lib. 1. contra Aduersarium Legis & Prophetarum c. 20. & l. 17. de Ciuit. cap. 20. Chrysostomum in Psalm. 93. & Leonem serm. 7. de Passione.

In ARTIC. II. & Reliquos.

De requisitis ad Sacrificium Missae.

Notandum est, In hoc sacrificio, ut ab Ecclesia celebratur, multa requiruntur: quae ad octo genera reuocari possunt. 1. Sacerdos. 2. Ministrans. 3. Materia. 4. Tempus. 5. Locus. 6. Vestes & Vasa sacra. 7. Verba praescripta & leges. 8. Variæ caeremonie.

DE SACERDOTE.

Dico Primò, Sacerdos debet esse sine conscientia peccati mortiferi, vel certè, si conscientiam talis peccati habeat, debet premittere confessionem, si in gratia commode potest; iuxta supra dicta q. 80. art. 4.

Dico Secundò, Requiritur etiam, ut non sit aliqua censura implicatus; scilicet Excommunicatione maiore vel minore, Suspensione à diuini, Irregularitate, vel Interdicto; quamuis hæc censura esset occulta.

Notandum tamen: Ad vitandum scandalum, vel infamiam, si prudenter ea timeretur ex omissione Sacri, posse talem celebrare, modò interim debeat de peccato, & proponat prima opportunitate petere absolutionem. Ita multi recentiores; & inter ceteros Ludouicus Lopes 2. p. pag. 580. ubi citat Siluestrum, Alphonsum à Castro, Nauarum, & Cordubam. Ratio est; Quia sicut iugum Domini suauis est, ita quoque mandata Ecclesiae: vnde non censetur Ecclesia velle hominem obligare cum graui iactura fama, vel rerum suarum ad censurarum obseruationem: multoque minus, quando inde sequeretur scandalum, quod iure naturæ vitare tenemur. Sufficit ergo, ut tunc, faciat quod in se est ad dignè celebrandum.

Excipie casum.

Dico Tertio, Requiritur etiam, ut sit ieiunus. Debet autè hoc ieiunium esse perfectissimum, ita ut homo nihil à media nocte, id est, post horam duodecimam, per modum cibi, potus, aut medicinae sumperit; ut docent omnes Doctores cum D. Thoma supra qu. 80. art. 8.

Dico Quarto, Si contingat Sacerdotem in altari deficere ante consecrationem, nihil amplius necesse est ab alio suppleri. Si tamè adfit alius Sacerdos ieiunus, qui velit, prosequi, potest. Si post consecrationem, quamuis vnus tantum speciei, debet sacrificium ab aliquo alio compleri, quamuis hic ieiunus non sit, si alius haberi nequit; idque incipiendo ubi prior deserat. Ratio est; Quia maius est præceptum integritatis sacrificij, quàm ne fiat à non ieiuno. Quam ab causam etiã sine confessione præmissa id fieri potest, si copia confessoris non datur.

DE MINISTRANTE.

Dico Primò, In missis priuatis sufficit habere vnicum ministrantem, qui vicem populi gerat. Est communis sententia Doctorum: & patet ex consuetudine Ecclesiae. Illa autem verba Canonis: Memento omnium circumstantium, intelligenda conditionatè, si qui adsint.

Dico Secundò, Ministrans non potest esse femina. Est communis sententia Doctorum, ex Cap. Inhibendum, de Cohabitatione Clericorum. Prohibendum quoque est, ut nulla femina ad Altare presumas accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare.

Ne sit femina.

stare, siue sedere. Dom. Soto d. 13. q. 2. a. 5. dicit, ob nullam necessitatem id sine dispensatione esse permittendum, potiusque Sacerdotem debere sibi ipsi ministrare, quam id feminae permittere.

67 Quando liceat sine ministro celebrare.

Petes, An ergo aliquando liceat sine omni ministro celebrare?

Respondeo; Licere cum dispensatione Papae sine ea ordinariè non licere. Dico Ordinariè: quia ob aliquam necessitatem incidentem interdum licet sine dispensatione: exempli gratia, si aliquis sine viatico esset moriturus; si Sacerdos, alioqui in magno aliquo festo, sacro esset cariturus; ita Dominicus Soto supra, & alij recentiores.

DE MATERIA.

68 Dico Primò, Materia adhibenda, est panis triticeus azymus, & vinum purum, cui modica aqua admixta.

Quid fieri debeat, si aqua vino mixta non fuerit.

Dico Secundò, Si quis oblitus suo tempore admiscere aqua, recordetur ante calicis consecrationem, statim eam apponat, & prosequatur. Si post consecrationem calicis recordetur, non potest admiscere; quia tunc non potest in Sanguinem Domini conuerti. Graeci tamen olim solent admiscere aquam, & quidem calidam post consecrationem; vt patet ex Liturgia Chrysostrami, & ex Nicolao Cabasila, cap. 37. Expositionis Liturgiae.

69 Quid fieri, si calice sumpto, sentiat non fuisse vinum, sed aquam.

Dico Tertio, Si sumpto calice deprehenderit non fuisse vinu, sed aquam, accedat ad cornu Altaris, tanquam accepturus abluitionem, ne pateat error; & accepto vino cum pauxilla aqua, redeat ad mediu Altaris, submissaque pronuntiet verba consecrationis calicis, incipiens à Simili modo, postquam Sec. vsque ad, Vnde & nos memores; neque calicem eleuet, sed statim sumat. Ita Nauar. c. 25. num. 91. ex Scoto. Sed

Consilium D. Thomae.

Aduerte, Sufficere verba consecrationis calicis, sicut in Missali ponuntur, omissis antecedentibus: nam Scoti sententia nititur falso fundamento; quod existimet verba illa priora esse necessaria ad essentiam consecrationis.

Quòd si nemo prorsus adsit, praeter ministrum, qui non offendatur, consultius erit seruare id, quod D. Thomas praescribit art. 6. ad 4. Nempe, vt apponatur alia hostia, si prior sumpta sit; & vinum cum aqua; & incipiatur ab illis verbis, Qui pridie; & sic deinceps pergatur vsque ad finem: nam hoc etiam praescribitur in regulis Missalis, quae tamen regulae non semper obligant; multae enim ex illis non sunt ordinationes, sed solum instructiones iuxta probabilem sententiam Doctorum datae.

Dices; Hoc modo non perficietur sacrificium prius imperfectum, sed nouum perfectu succedet; & sic prius relinquatur imperfectum, quia caruit consecratione Sanguinis: quare hoc modo non euitabitur incommodum.

Respondeo; Etsi noua illa consecratio vtriusque speciei, sit per se integrum sacrificium; tamen, quia actio prioris sacrificij imperfecti adhuc durat; consecratio, quae immediate inferitur, censetur ad idem officium pertinere, tanquam vna continua actio ordinata ad vnum perfectum sacrificium: vnde in fine Sacri non liceret ita consecrare, quia non censeretur vna actio.

70

Dico Quarto, Si araneus, vel quid aliud venenatum, incidit in calicem consecratum, non debet sumi; sed aliud vinum cum aqua imponi, statimque consecrari; & sumi, vt dictum est. Neque

verum est, quod quidam dicunt, tunc aliam etiam hostiam esse consecrandam: nam prima consecratio vtriusque speciei fuit legitima, ac proinde fuit perfectum sacrificium ex parte consecrationis; in calicem quare consecratio vini non repetitur, nisi ob summationem.

Quid si aranea, vel quid venenatum incidit.

Aduertendum autem in hoc casu species vini infectas veneno, vel seruandas donec exhalentur, aut omnino corrumpantur; & tunc in piscinam post Altare proijciendas; vel (quod commodius est) stupa, vel panno lineo imbibendas; quo siccato, & combusto, cineres in piscinam proijciendos.

DE TEMPORE.

Dico Primò, Etsi multi Doctores teneant, nullo praeepto sub peccato mortifero teneri Sacerdotes aliquando offerre sacrificium; sed satis esse, vt in Paschate simpliciter communicent; tamen contrarium est multò probabilius, & verius, & in praxi sequendum: quod tenet D. Thom. supra q. 82. art. 10. Durandus, Paludanus, & alij d. 13. Silvester verbo Missa 1. §. 7. & alij Summistae.

71 An Sacerdos teneatur aliquando celebrare ex praeepto.

Probatur Primò, Lucae 22. v. 19. Hoc facite in meam commemorationem: quibus verbis praecipit Dominus Apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus, vt offerrent hoc sacrificium, vt testatur Concilium Trident. sess. 22. c. 1.

Probatur Secundò, Quia censetur esse quidam contemptus muneris sacerdotalis, eo nunquam vti; & ipsius sacrificij, illud nunquam offerre, cum ad hoc sit consecratus: nisi tamen iusta aliqua interueniat causa.

Probatur Tertio, Quia Sacerdos accipit onus intercedendi pro populo, & offerendi sacrificia pro peccatis. Satis tamen est, si in magnis Ecclesiae festis celebret, ad vitandum peccatum mortiferum. Adde, quod Concil. Trid. sess. 23. c. 14. praecipit Episcopis, Vt curent, vt Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus Missas celebrent: & ij, qui curam animarum habent, tam frequenter, vt muneri suo satisfaciant.

72 Praeeptum Concilij Trid.

Dico Secundò, Quouis die per totum annum licitum est offerre hoc sacrificium, praeterquam die Veneris sancto.

72 Licet quouis die celebrare, non tamen Veneris sancto.

Consentiunt Doctores; praeterquam de feria quinta & Sabbato sancta hebdomadae. Sed communior sententia est feria quinta licere; modò fiat absque scandalo. Ratio est; Quia nullum est ius scriptum id prohibens, nec vlla consuetudo in contrarium vim legis habens. Ita Sotus dist. 13. q. 2. art. 2. Nauar. c. 21. n. 88. & alij.

Die Iouis sancto.

De Sabbato idem dicendum est cum Soto, & multis recentioribus; quidquid dicat Nauarrus. Ratio est; Quia etsi in Canone Sabbato, de Consecratione d. 3. eodem modo de Sabbato, atque de Feria sexta dicatur, Sacramenta non celebrari; tamen generali consuetudine hoc de Sabbato est abrogatum. Nam in tota Ecclesia sacrificiu eo die offertur. Ideò enim olim non offerebatur sacrificium Sabbato sancto, quia ad representandam quietem Domini in sepulchro, distinebatur vsque ad mediam noctem sequentem, & tunc primum offerebatur: quod Ecclesia contraria consuetudine iam sustulit anticipando tempus. Vnde saltem ab eo tempore, quo in Ecclesia publicè offertur, licet etiam privatim celebrare, modò absit offensio.

Sabbato sancto.

Dico Tertio, Vno die nemo potest fasere, nisi vnum Sacrum; vt patet ex Canone Sufficit, de Consecratione

73

Non licet, extra casus, in die nisi vnam Missam facere. Consecratione d. 1. & Cap. *Consulisti*, de Celebratio-
ne Missarum. Excipiuntur tamen aliquot casus: nam in nocte Natiuitatis ex decreto Thelesphori Papæ licitum est facere tria. Item quando aliqua rationabilis necessitas urget. Vide Nauarrũ c. 25. nu. 87. vbi enumerat sex vel septem casus. Cauendum tamen tunc est, ne in priore sacrificio Sacerdos sumat abluitionem.

74
Qua diei hora liceat celebrare.
Dico Quarto, Quod ad horam celebrandi attinet: Ea est ordinariè ab initio auroræ (id est crepusculi, quo aliquid lucis apparet) vsque ad horam duodecimam. Est communis. Initium auroræ seu crepusculi, ita Doctores interpretantur, vt liceat duabus horis ante ortum solis.

Quare, Si quis habeat priuilegium, vt possit duabus horis ante auroram, ille poterit quatuor horis ante ortum solis: nam aliqui priuilegium nihil operaretur; vt notauit Suares.

Potest tamen ob aliquam necessitatem tempus ordinarium anticipari: vt si infirmo danda esset communio: si opifices, & viatores alioqui carituri Sacro: maximè si id fiat permittente Episcopo, qui in hoc ob iustam causam potest dispensare; vt Doctores affirmant.

75
An liceat vsque ad tertiam pomeridianam.
Ab hora duodecima vsque ad tertiam pomeridianam Nauarrus nu. 85. affirmat ob aliquam rationabilem causam licere celebrare, modo id fiat priuatim, & sine scandalo: quia nullus Canon, aut ratio id vetat. Quare priuilegia hac de re nihil continere, nisi Ius commune. Eandem sententiam sequitur Candelabrum, & inclinatur Summa Angelica, & Rosella. Conuetudo tamen Ecclesie est in contrarium. Vnde, nisi sit causa magni momenti, probabilius videtur, cum Dom. Soto, non licere: quamuis Nauarri sententia non sit improbabilis. Posset tamen Episcopus dispensare pro aliquot vicibus, licet fortassis non posset generale dare priuilegium.

76
An sit peccatum celebrare non lecto Matutino.
Dico Quinto, Ante recitatum officium matutinum celebrare, non est peccatum mortiferum. Ita Soto supra, & alij passim: quamuis ferè omnes Canonice sint in contraria sententia; sed sine iusta ratione. Addo, Si sit causa aliqua rationabilis, nullum fore peccatum. Ratio est: Quia nullum est Ius illud præcipiens, nec conuetudo vlla in contrarium tam strictè obligans. Nam quod Matutinum conueit dici ante Sacrum, id inde prouenit; non quod iste ordo per se sit necessarius, sed quia tempus recitandi Matutini ordinariè præcedit: deberet enim Matutinum recitari nocte, vel saltem primo quoque tempore mane. Vnde non videtur esse vllum peccatum dicere Sacrum ante preces matutinas, nisi quatenus illa preces nimium postponuntur, post debitum suum tempus, idque sine iusta causa.

DE LOCO.

77
Locus sit sacer.
Dico Primo, Locus Iure communi debet esse sacer: id est, benedictus, aut consecratus. Est communis sententia Doctorem. Consecratio fit à solo Episcopo, & cum vñctione Chrismatis, quo parietes vnguntur. Benedictio fit sine Chrismate; vnde facile ea committitur simplici Sacerdoti. Extra talem locum non licet celebrare sine dispensatione, vel necessitate; & videtur graue peccatum, si contrarium fiat: etsi Soto dicat non esse mortiferum; d. 13. q. 2. a. 3. Præsertim si fiat ob aliquam causam cum bona fide.

78
Dispensatio ante Concil. Trid. poterat dari ab

Episcopo, vt quouis loco honesto, sine alia causa liceret celebrare; vt patet ex Canone *Missarum*, de Consecratione d. 1. Post Concilium putat Nauarrus c. 25. n. 61. Episcopum non posse dispensare. Sic enim fess. 22. ait Concilium; *Neue pariantur Episcopi priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria, hoc sacrificium peragi.* Verum probabilius est Episcopis non esse ademptam potestatem dispensandi, quando iusta interuenit causa; nam verba Concilij id non significant. Intelligenda ergo sunt prohiberi Episcopo, ne id permittat pro suo arbitratu, & sine iusta causa; sicut antea poterat permittere, vt Sacerdotes in priuatis domibus Sacrum facerent, quamuis nullus esset ibi locus diuino cultui deputatus. Potest itaque Episcopus in domo priuata locum certum assignare, qui maneat cultui diuino deputatus; & concedere, vt ibi quotidie Sacrum dicatur super Altare portatile, quamuis locus non sit benedictus, vt aperte colligitur ex Concilio.

Deinde ex causa iusta potest concedere, vt etiam in loco communi domus priuata, modo sit decens, Sacrum dicatur; etiam si locus ille ante & post, functionibus secularibus occupetur.

Ob necessitatem autè licet, non solum in domo priuata, & loco profano; sed etiam sub dio: vt in Castris, in Supplicationibus ad exiguas Capellas.

Item in itinere, vt inquit D. Thom. quod intellige, si multis diebus non occurrat locus decens. Episcopus autem pro suo arbitratu potest dicere Sacrum in domo, vel extra domum, quando est in itinere.

Poterant etiã olim Mendicantes celebrare quouis loco honesto cũ Altari portatili; vt patet Cap. *In his*, de Priuilegijs. Sed hoc reuocatum est per Concilium Trid. loco citato, nisi postea auctoritate Pontificis sit illis concessum.

79
Violatur locus sacer.
Dico Secundo, Locus ille debet esse nõ violatus. Violatur autem: Primo, Occisione voluntaria hominis ibidè facta. Si casu, aut per amentiam fiat, non violatur: quia non est voluntaria. Similiter si fiat ratione necessariè defensionis; nam etiam non censetur voluntaria. Si Iudex plectat reum in Ecclesia, violatur; quia fit iniuria loco sacro per talem occisionem.

80
2. Effusione Sanguinis.
Secundo, Per iniuriosam sanguinis effusionem. Debet autem esse copiosa, vt indicat nomen *Effusionis*; & ex graui percussione. Vnde emissio sanguinis ex pugna puerorum non violat locum; vt notat Victoria q. 99. Graue vulnus inflictum in Ecclesia, violat; etiam si sanguis ibi non effluat. Similiter, si percussor est extra Ecclesiam, & percussus in Ecclesia, violatur. Secus, si percussor sit in Ecclesia, & percussus extra: quia externum peccatum non perficitur in Ecclesia.

81
3. Effusione voluntaria seminis.
Tertio, Per voluntariam effusionem seminis humani. Intellige in aliqua notabili copia. Per actum coniugalem Dominicus Soto d. 13. q. 2. a. 3. putat non violari; similiter Glossa in can. *Ecclesijs*, de Consecratione d. 1. Nauarrus verò & alij affirmant violari. Sed distinguendum est cum Couarrutia in 4. decretal. par. 2. cap. 7. §. 2. n. 3. & alijs, quos ipse citat: non violari, quando licite fit: vt quando uterque coniux, vel alter, cogitur in Ecclesia ad aliquot dies remanere, nec possunt commode differre, aut alibi facere. Quando autem fit illicitè, tunc violatur: verbi gratia, quando commode possunt alibi.

Quarto,

82. **Quartò**, Si excommunicatus ibi sepeliatur. Hoc intellige de excommunicato nominatim, vel notorio percussore Clerici; vt notauit Victoria loco citato. Ratio est; Quia hi duntaxat vitandi sunt post Concilium Constantiense. Vnde probabile est post mortem non necessariò esse vitandos in sepultura.

83. **Quintò**, Si infidelis ibi sepeliatur; vt Iudæus, Paganus, Turca; vel etiam infans nondum baptizatus, tamen editus in lucem. Alius casus ponitur à Nauarro, Siluestro, & alijs: Violari Ecclesiam, si ipsa ab Episcopo publicè excommunicato consecratur, aut benedicatur. Sed id optimè refutatur à recentioribus; quia nullo iure probatur: idque meritò: nam pollutio Ecclesiæ supponit consecrationem, vel benedictionem eius: ergo per ipsam consecrationem, vel benedictionem non potest pollui.

84. **Sextò**, Polluitur, si maior pars parietum renouetur. Sed Aduerte, tunc pollui solum negatiuè, quatenus deletur consecratio. Vnde iterum consecranda est. Et Ratio est; Quia consecratio censetur esse in parietibus Ecclesiæ. *Secus est de benedictione, quæ in ipso solo consistit.*

85. **Notandum autem Primò**, Locum non censerì violatum, nisi res sit publica; idque vel iuridicà confessione, vel euidentià facti, quæ talis sit, vt passim constat eo modo, quo talis res moraliter constare solet.

Notandum Secundò, Non incurri irregularitatem ex celebratione in loco violato: quidquid aliqui dixerint: vt colligitur ex Cap. *Is qui*, de Sententia excommunicationis in 6. Sed incurri solum peccatum mortiferum, si fiat sine necessitate, vel priuilegio. Necessitas excusat, si aliqui populus deberet carere Sacro die Festo: Si viaticum infirmo dandum, &c. Episcopus etiam potest dispensare, vt in loco polluto celebretur.

86. **Dico Tertio**, Debet etiam offerri hoc sacrificium super Altare lapideum consecratum. Vide D. Thomam art. 3. ad 5. Non est necesse lapidem esse ingentem; satis est, vt capiat hostiam, & calicem, saltem pro maiori parte.

Perit autem hæc consecratio: Primò, Si lapis ita frangatur, vt in neutra parte possit commodè calix, & hostia collocari. Quòd si altera pars sit ad hoc sufficiens, illa manet consecrata; quia figura non est de essentia. Secundò, Si superior lapis separaretur à sua structura, cui erat affixus. Quod solum habet locum in altari immobili: Altare enim portatile non amittit consecrationem, quamuis separaretur à ligno, cui erat inclusum. Nam lignum istud solum est ad ornatum, vel custodiam: neque in eo, aut in coniunctione lapidis cum illo, est consecratio, sed in solo lapide.

Reliqui non sunt necessarij ad rationem consecrationis, quidquid alij dixerint. Nam nullus Canon id probat; vt rectè ostendit Suares.

DE VESTIBVS ET VASIS SACRIS.

87. **Dico Primò**, Sacerdos non potest offerre sacrificium sine vestibus sacris ab Ecclesia præscriptis.

Et quidem nullo casu (loquendo de eo, qui humano more solet occurrere) licitum est offerre sine omnibus vestibus sacris; vt rectè Caietanus. Quia non est Sacramentum tantæ necessitatis, vt hoc vniuersale præceptum tantoperè ad reuerentiam huius sacrificij pertinens, debeat infringi.

Fingi tamen posset casus, in quo liceret: vt, si constaret, vel valdè probabile esset, hominem moribundum rationis vsu destitutum, esse duntaxat attritum, nec aliud Sacramentum ei posset adhiberi.

Sine stola, vel manipulo, ob grauem causam, v. g. ad dandum viaticum, dicere Sacrum, non censetur peccatum, saltem graue.

Dico Secundò, Hæ vestes omnes debent esse benedictæ. Quæ benedictio perit, quando ita mutantur, vt non sint idoneæ ad suum vsum: verbi gratia, si cingulum rumpatur, si manica separetur ab Alba.

Dico Tertio, Præter hæc, Altare debet sterni saltem duabus mappis, vel vna duplicata, licet non benedicta, & Corporali lineo benedicto.

Dico Quarto, Calix constare debet auro, argento, vel stanno, saltem interna superficie; & esse consecratus vnctione Chrismatis. Similiter Patena. Manet autem hæc consecratio, quamdiu hæc manent integra, & idonea ad suum vsum. Quòd si scyphus calicis separetur à pede, perit consecratio: quia sine pede non est idoneus ad vsum. Excipitur calix tornatilis, quia tali animo censetur benedictus. Si calix interiùs inauratur, rursus adhibenda est consecratio; quia inauratura est instar noui vasculi interiùs inferti.

DE PRECIBVS ET CÆREMONIIS.

Hæ preces, verba, & cæremonie necessariò in Missa adhibenda sunt, quæ in Missali Romano præscribuntur. Patet ex diplomate Pij V. quod Missali præfigitur, vbi sic dicitur: *Mandantes, & districte omnibus, & singulis Patriarchis &c. & reliquis personis Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientie precipientes, vt ceteris omnibus orationibus, & ritibus ex alijs Missalibus, quantumuis vetustis hæcenus obseruari consuetis in posterum penitus omisus, & planè reiectis, Missam iuxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent & legant. Neque in Missa celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ in hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumant.*

Aduerte tamen Primò, Missalia, quæ ducentis annis continuò in aliqua Ecclesia sunt vsurpata, permitti Clericis illius Ecclesiæ: sicut dictum est de Breuiarijs, l. 2. de Iustit. & Iure c. 37. dub. 12.

Aduerte Secundò, Non esse statim peccatum mortiferum, si quis aliquid in cæremonijs mutet, vel aliquam priuatam orationem interferat, si materia sit exigua: non tamen à veniali posse excusari.